



Specimen juridicum inaugurale de jura cogitata communicandi ex juris communis principiis regendo

<https://hdl.handle.net/1874/322929>

5

SPECIMEN JURIDICUM INAUGURALE
DE
JURE COGITATA COMMUNICANDI
EX
JURIS COMMUNIS PRINCIPIIS
REGENDO,
QUOD,
FAVENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI
BARTHOLDI JACOBI LINTELO DE GEER,
LITT. HUM., JUR. ROM. ET HOD. DOCT. ET PROF. EXTRAORD.
NEC NON
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU
ET
NOBILISSIMAE FACULTATIS JURIDICAE DECRETO,
PRO GRADU DOCTORATUS,
SUMMISQUE IN JURE ROMANO ET HODIERNO HONORIBUS ET PRIVILEGIIS,
IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,
PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT
JOANNES THEODORUS BUYS,
AMSTELAEDAMENSIS.
AD DIEM 17 M. APRILIS MDCCCL, HORA I.
IN AUDITORIO MAIORI.

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA
C. A. SPIN & FILII.

MDCCCL.

1850

»C'est aux risques et périls de l'écrivain
»que je demande pour lui la liberté de
»la presse."

CHATEAUBRIAND.

*Stadio Academicō feliciter percurso, de argumēto mihi
cogitandum fuit, de quo, more nostratibus solito, Speci-
men conscriberem. Nec diu hac de re dubitandum
censui. Etenim, cum peculiaris in qua per plures jam
annos vessor conditio, tum ipsae quae nostra praecepue-
aetate de libertate preli vel augenda vel limitanda gra-
vissimae agitantur lites, fortiter mihi suaserunt ut ipse
quoque vires qualescumque meas in hac quaestione illus-
tranda collocarem. Magis etiam propositum illud mirifice
mihi placuisse fateor, quum ad opus meum satis difficile
agrediendum doctissimorum, quorum egregia institutione
uti mihi contigit, virorum incitarer persuasione. Itaque
scribere constitui de naturalibus, quibus jus cogitata ope
typographiae enuntiandi circumscribitur, limitibus. De
peculiaribus diariorum requisitis atque juribus nonnulla
subjicere haud inutile neque ab argumēto prorsus alienum
putavi.*

*Opusculum autem meum minime tale exstitisse, quale
aut a severo judice exigi possit aut meo ipsius proposito*

omni modo respondeat, facile confiteor; nec me pudet, in Latino sermone parum versatum et multis inde difficultibus, neque his, ni fallor, ipsi rei naturae inhaerentibus, in cogitatis meis enuntiandis saepius impeditum, lectoris veniam petere, si quaedam minus eleganter aut minus clare exposita reperiat.

*Sed antequam huic praefationi finem imponam atque amoena studiosorum vitae valedicam, pauca verba hactenus dictis addere liceat, quibus gratias agam iis omnibus, qui tot benevolentiae vel amicitiae testimonia per illud studiorum tempus mihi praebuerunt. Vos praesertim, Viri Clarissimi, praeceptores aestumatissimi, DEN
TEX, VAN HALL, M. DES AMORIE VAN DER HOEVEN! grato
meo animo fidem habeatis, atque sciatis me nunquam im-
memorem futurum esse auxilii vestri humanissimi, quo
carens omnia illa impedimenta superare non potuissem
quae fini optato obstabant. Quae enim vestris consiliis et
lectionibus debo eximii semper mihi erunt pretii.*

CONSPECTUS.

INTRODUCTIO.....	Pag. 1.
------------------	---------

C A P U T I.

DE ELEMENTIS DELICTORUM QUAE EX OPINIONUM PUBLICATIONE
PROFLUERE POSSUNT.

§ 1. <i>Universe</i>	Pag. 11.
§ 2. <i>De communicatione cogitatorum</i>	" 17.
§ 3. <i>De animo injuriandi</i>	" 20.
§ 4. <i>De probatione veritatis</i>	" 25.

C A P U T II.

DE LIMITIBUS LIBERTATIS COGITATA EDICENDI.

§ 1. <i>Universe</i>	" 43.
§ 2. <i>De illis rebus quarum disputatio nonnullis regionibus non est licita</i>	" 46.
§ 3. <i>De restrictione juris disputandi quantum spectat non- nullas personas</i>	" 57.
§ 4. <i>De regis ministris</i>	" 64.
§ 5. <i>De sententia eorum qui censent libertatem opiniones profitendi nullis finibus coactandam esse</i>	" 69.

APPENDICES.

I. DE JUDICIS JURATIS IN DIJUDICANDIS DELICTIS, OPE TYPOGRAPHIAE COMMISSIS.....	Pag. 78.
II. DE DIARIIS.	
§ 1. <i>De conditione hodierna diariorum.....</i>	87.
§ 2. <i>De remediis adhibendis ad diariorum conditionem corri- gendarum.....</i>	95.

INTRODUCTIO.

Facultas cogitata sua edicendi ope typographiae fere omnibus temporibus fuit argumentum litium acerrimorum in singulis Europae regionibus. Fere nulla in re tam diverso modo et tam vehementer pugnarunt viri docti. Usque ad tempus rerum conversionis in Francia saeculi praecedentis, illi qui fere nullam hac in re tuebantur libertatem semper manserunt victores, non tam quia eorum argumenta majoris erant momenti, quam quia numero praevalebant et potentiores erant ad efficiendum, ut id vim nanciseretur, quod eorum opinionibus commodisque conveniret¹. Inde ab eo tempore ta-

¹ Gloriarī merito potest patria nostra, quod non solum virum pepererit qui typographiam invenit, sed etiam, quod incunabula constituerit, unde liber hujus artis usus se per totum terrarum orbem extendit. Ante duo saccula, quum libertas opiniones suas ope typographiae edicendi fere omnibus Europae regionibus incognita es-

men mutata est conditio preli libertatis. Quamquam saepe oppressa et violata lento gradu tamen processit et imperium suum semper latius extendit per singulas regiones. Hodie de ejus necessitate et utilitate vix amplius disputatur. Omnes eam agnoverunt; singuli populi in suis constitutionibus eam stabiliverunt, et solum paucis hisce civitatibus, ubi summa imperatorum potentia omnem politicam libertatem sustulerat, liber ille typographiae usus ignotus esse poterat.

Sed ille communis de necessitate hujus libertatis consensus ei nondum multum profuit. Exstant adhuc lites. Ab initio inde enim, historia teste, patuit, homines solum verbum usurpavisse, non ejus significationem intellexisse. An sane in politico nostro lexico invenire possemus verbum tam vagum, tam aptum ad diversas explicationes quam illam vocem *libertas*? Quis ea non fecerit quotidie utitur? Quam pauci de sententia conveniunt¹?

set, patria nostra jam hoc jure aliquatenus certe fruebatur, et asylo erat viris illustrissimis cujuscunque generis et ex quacunque regione convenientibus, ita ut nostra industria opera celeberrima eorum ingenii ab oblivione viudicarentur.

¹ Valde dolenda est illa ignorantia justae significationis hujus vocis *libertas*, in primis nostris diebus. Ubivis videmus cupidinem, immoderatam saepe, jurium politicorum, quae totam libertatis naturam a nonnullis complecti immerito censemur. Illa jura quae modo libertatis sunt elementa plerisque sufficient. Non intelligent homines haec jura in se nihil continere nisi media ut liberi fiamus, nisi primum quasi

Si hoc verum est de verbo *libertas* universe, valet etiam de speciali illa libertate, quae consistit in opinionibus edicendis ope typographiae. Alii nihil nisi abolitionem censurae rogant et gravissimas restrictiones approbare videntur; alii solum jure omnia dicendi, veritatem et mendacium, calumnias, injurias et indirectas instigations ad publicae securitati nocendum, prelum liberum vocant. Sicut in plurimis rebus, hic etiam veritas in medio mihi adesse videtur. Quum ille, qui ea omnia dicit quae ei lubet, certe non amplius libertate utitur sed intolerabili licentia, contra etiam prelum liberum nondum dici potest, si solum consilia praeventiva sublata sunt, et communis ejus usus magno restrictionum numero impeditur ¹.

gradum in viam libertatis. Ut revera liberi simus, curemus in primis libertatem in vita privata; corrigamus mores nostros; extendamus imperium artium et scientiarum, et tunc solum hoc jus libere eligendi eos qui rebus publicis praeunt nobis proderit, tunc ii qui nos regent induiti erunt hoc sensu libertatis, quia nos ipsi cum fovebimus, et tunc iis non difficile erit hanc libertatem privatam ad res publicas et omnia ea negotia quae salutem publicam spectant extendere. Praeclare hanc veritatem enuntiavit scriptor Francicus e. b. DUNOYER in opere egregio *l'Industrie et la morale considérées dans leurs rapports avec la liberté.*

¹ Scriptori Anglo celeberrimo BLACKSTONE igitur concedere non possumus, liberationem uniuscujusque impedimenti vel omnis restrictionis ante publicationem, constituere libertatem preli. Si quae-dam lex poenam minatur, ex. gr. contra eum qui in scriptis suis

Gravis igitur restat quaestio tractanda, quid constituant veram preli libertatem, qui sint justi limites inter illud jus opiniones suas edicendi et hoc aliud jus, quo omnes utimur et cuius vindicationem mandavimus gubernatoribus nostris, jus securitatis, jus ut tui simus contra injurias quae profluere possent ex usurpationibus preli. Difficile sane opus! Homines illustrissimi scientia sua huic inquisitioni totam vitam impenderunt; systemata diversissima et, ut videbantur, sagacissima a varia parte adhibita sunt; leges sapientissimae, post diuturnum et prudens examen, sunt conditae, et tamen hodie adhuc rogamus veritatem, quaerimus aliam rationem, quam haec omnia experientia sint improbata.

Quae est causa harum difficultatum? Quam ob rem illud criterium liciti et illiciti in operibus typographiae minus est perspicuum quam aliis in rebus? Principalis causa mihi videtur haec: Ope typographiae opiniones nostras edicimus. Valor operum typographiae igitur pendet a valore opinionis emissae, id est, a morali scriptoris et scripti conditione. Si quidam scriptor, vel in genere populus, ad certum humanitatis gradum nondum ascendit, typographiae fructus imperfecti manebunt. Arcta inter scriptorem et scriptum existit necessitudo.

djudicaverit facta regis ministrorum, certe illa lex libertatem typographiae tollit, quamquam jus edicendi opiniones suas *ante publicationem* tali modo non restringitur.

Ergo non solum vitia legum quae typographiam regunt, sed imprimis etiam vitia ipsius humanae naturae meliori typographiae usui et conditioni obstant. Quamdiu humanae naturae vitia non extinguntur, haec ut effectum sortiantur in scriptis typographiae necesse est. Eodem modo speculum semper offeret figuram deformem, quamdiu ille qui in hoc speculo se contemplatur, deformis erit. Quam ob rem in Francia conditio libertatis preli tristior est quam in Anglia, quam apud nos? Certe bonis legibus et egregiis legislatoribus Francia non caret. Contra, nullo loco tanta cura, tot conamina diversissima typographiae adhibita sunt. Sed quid possunt legislatores contra mores, et mores Francorum magis depravati sunt quam Anglorum et nostratum.

Sed an illa veritas non etiam valet in omnibus aliis populi rebus? Immoralitas hominum nonne etiam perspicua patet ex aliis delictis cuiuscunque generis? Certe ex majore vel minore numero delictorum, quae committuntur, gradum moralitatis cuiusdam populi metiri possumus, sed bonitas et praestantia legum inde non dependet. Facta commissa sine multis difficultatibus aestimantur et ad hanc illamve classem referuntur. Si multi adsunt fures, lex, quae furtum punit, tamen recte se habere potest. Sed non idem valet ubi agimus de legibus quae typographiae usum constituunt. Leges illae ex physicis signis statuere debent de rebus incorporalibus, de factis intellectualibus, de cogitatis. Non fieri

potest ut lex omnes amplectatur formas, quibus cogitata enuntiantur. Fere quodque cogitatum alio et diversissimo modo exprimi solet; periculorum et damnosum esse potest, et tamen extra imperium legis. Igitur, si legislator non ipsis populi moribus adjuvatur, nunquam legem perfectam constituere poterit. Vel metu obstrictus ne quaedam eum fugiant delicta partem libertatis negliget, vel amore libertatis quaedam delicta impunia manebunt¹.

Id imprimis legibus circa typographiam, in Francia vigentibus, vitio verti potest, quod nimis specialiter de singulis casibus agunt. In applicanda communi regula in singulos casus, legislatores Francici saepe justam rationem neglexerunt. Hoc modo, cum judicum munus aggravaretur, per legum extensionem, non meliores eas reddere potuerunt legislatores². Generalia quaedam

¹ Codex civitatis Brasiliae continet praescriptum (art. 240), quod nulla alia lege invenitur. Quum propter ambiguitatem verborum non recte de injuria constet, ille, qui offensum se putat, apud judicem vel extra-judicium scriptorem explicationem rogare potest. Ille qui explicationem recusat, subjeicit iisdem poenis, quae applicarentur, si injuria fuisse directa et omnibus perspicua. Vid. GRELLET-DUMAZEAU, in opere egregio, *Traité de la diffamation, de l'injure et de l'outrage*, I, 20.

² Egregie et eloquenter hancce veritatem enuntiavit EMILE DE GARDIN, verbis sequentibus: »On ne peut pas tuer un homme sans lui ôter la vie; on ne peut pas lui dérober sa bourse et en même

praecepta, quae judex in singulos casus applicet, igitur mihi praeferenda videntur.

Ne obliviscamur igitur fundamentalis illius veritatis, cum moribus populi bonam vel malam preli conditio-
nem arcte cohaerere. Sicut omnes libertatis species,
etiam libertas preli quamdam requirit aptitudinem a
populo, qui ea utitur. Optimum remedium ad praec-
veniendos abusus, consistit in hac aptitudine augenda,
in correctione morum.

Felices nos aestimamus in patria nostra moralem illam
populi conditionem jam tantas fecisse progressiones, ut
liber typographiae usus adhiberi possit ad eam conditio-
nem adhuc meliorem reddendam. Si alium populum
ante oculos haberemus, sententiae nostrae, in hocce opus-
culo emissae, videlicet non ubicunque eadem essent.

temps la lui laisser; mais ce qu'on ne peut pas dire sous une forme, il est si facile de le glisser sous une autre. Vous pouvez interdire l'offense, la calomnie, la diffamation, l'injure, la violence; mais comment vous y prendez-vous pour poursuivre et pour atteindre l'insinuation, l'allusion, l'allégorie, l'apologue, l'équivoque, l'hypo-
thèse; l'énigme, l'induction, les sous-entendus, l'ironie, le per-
siflage, la perfidie, l'interrogation sous l'apparence dubitative, l'énon-
ciation sous le masque de la dénégation, et au besoin même de
l'indignation, etc., etc.? Est-ce que l'esprit de l'écrivain n'est pas
tout ce qu'il y a de plus subtil, et l'esprit du lecteur tout ce qu'il
y a de plus malin?" Videatur in opusculo *le droit de tout dire*, pag.
227. Parisii, 1849.

Stricta juris requisita apud nos duces esse debent in condendis legibus. Non opus est ut publicae securitatis causa vetemus quod est licitum et vetari non deberet, et contra etiam ut falso libertatis principio ducti, spectemus tamquam liberum typographiae usum, id quod omnia delicti elementa in se comprehendit.

Longe facilius est igitur munus ejus, qui in lege condenda hoc sibi proponit, ut solum facta injusta puniat, nulla habita ratione populi indolis. Nobis judicibus, legibus circa typographiam nulla nisi juris principia inesse debent. In ipsis elementis delicti injuriarum, tam contra privatos quam contra rempublicam, quaerenda nobis videtur solutio gravis hujus quaestio[n]is: "Qui sunt limites preli libertatis?" Artificiosa omnia consilia experientia improbata sunt. Necessarium est ut solum simplicia et naturalia principia attendantur. Typographia nihil aliud esse potest, nisi medium, indole sua nemini nocens, et omnibus aliis mediis simile¹, sed

¹ Eadem etiam erat opinio celeberrimi viri PORTALIS (patris): «Que fait on — inquit — quand on propose une loi particulière sur les délits de la presse? C'est comme si, en matière d'assassinat, on proposait une loi sur les délits du sabre ou du pistolet. Il est défendu d'assassiner; l'instrument qui sert à commettre le crime n'en change pas la nature.» Verba illa, enuntiata in coetu curiae Parum, die 20 mensis Februarii anni 1822, inveniuntur apud CHASSAN, opere egregio: *Traité des délits et contraventions de la parole, de l'écriture et de la presse*, 1837. I. 5.

facta, ejus ope perpetrata, sunt bona vel mala, utilia vel damnosa, licita vel illicita. Si illa facta omnia comprehendunt elementa quae delictum constituunt, ut prohibeantur et puniantur necesse est, sed si his elementis carent tunc etiam, sicut omnia alia facta, maxima fruantur libertate. Naturalis juris preli limites alii esse nequeunt. Specialem ei attribuere conditionem ejus proposito non responderet et simul esset periculosum injustumque. Revera, nisi naturalibus illis limitibus inclusa, typographia multas committit actiones damnosas et periculosas, quas lex poenalis attingere nequit, sed, ut supra diximus, correctione morum ea vitia corriguntur. Lex contra ea nihil valet.

Ex iis quae praecedunt jam haec principia sequuntur: Legislatori non licet ullo modo libertatem preli coarctare, quamdiu solum inservit ad cogitata sua bona fide enuntianda de singulis rebus quae ad vitam publicam pertinent. Jus quietae disputationis latissimo sensu agnosci debet, tamquam requisitum maxime necessarium in civitate jure legibusque fundata. Contra vero, quando illa typographia usurpatur ad vitam privatam aperiendam, quando finis non amplius in eo consistit, ut veritas in publicum commodum enuntietur, quando inservit ad exercendam potestatem usurpatam et odiosam, tunc diligentissime videant legislatores ne quid exinde detrimenti capiat respublica, nam quamvis etiam his casibus sine malo consilio et igitur impune auctoritatem suam

exercere posset typographia, remota tamen est a nobili ejus fine, et tutelam legis invocare non amplius potest. Tunc denique, quando usus typographiae non solum non est necessarius sed etiam noxius, quando adhibetur unice ad incommodum publicum, ad maximum detrimentum privatorum, quando honorem et publicam aestimationem hominum laedit, tunc adveniat lex gravis et severa, atque nomine libertatis attingat eos, qui hoc pulcherrimo libertatis preli verbo abutuntur, qui ipsam libertatem licentia sua restringunt.

Haec principia explicare in hocce specimine nobis posuimus. Propositum vires nostras fortasse superans! Confidentes tamen indulgentiae L. B., qui a juveni inexperto, arctis hujus opusculi limitibus incluso, et praeterea utente sermone, ei jam nimis alieno, fructus maturos non posset, audaces atque quieti opus nostrum aggredimur.

Argumentorum tractandorum distributio lectori ex ipsa scriptione nostra satis superque perspicua erit. Primum nobis investiganda sunt requisita et elementa delictorum quae ex opinionum publicatione profluere possunt, ut inde deducamus quae jura libertas illa cogitata communicandi complecti debeat. Denique inquiremus nonnulla quae opportunitate hujus argumenti tractandi affinia argumenta investigavimus, et quae idecirco tanquam excursus ad hanc scriptionem exhibebimus.

CAPUT PRIMUM.

DE ELEMENTIS DELICTORUM, QUAE EX OPINIONUM

PUBLICATIONE PROFLUERE POSSUNT.

§ 1. *Universe.*

Libertas preli, quae vulgo dicitur, significat, stricto sensu, facultatem edicendi opiniones suas ope typographiae, et latiore interpretatione pulcrum et sacrum illud jus libere profitandi, aliisque hominibus communicandi sententiam suam de singulis rebus. Ex ultima illa definitione jam statim patet typographiam non novum constituisse jus, sed solum novum adhibuisse medium ad illud jus, quo jam antea, vocis vi, fruebamur, exercendum. Jus cogitandi et loquendi non legibus scriptis debemus sed ipsi naturae. Non minus, quam facultas se movendi, hominis est bonum, bonum pulcherimum, cuius ope prae ceteris animalibus excellimus. Naturalis hujus veritatis consequentia est igitur ea, ut

libertas preli, id est libertas loquendi, sed modo artificioso et figuris physicis, quae vocis locum occupant, eundem habeat fontem et etiam ex jure naturali derivetur. Sed an hanc ob rem necessario iisdem frui debet juribus typographia? An hanc ob rem libertas typographica, sicut libertas loquendi, exstat sine expressa legis sanctione, solum quia est extensio naturalis hujus facultatis? Cum scriptoribus hoc affirmantibus facere non possumus. Revera typographia nihil est nisi modus melior et efficacior loquendi et scribendi, qui vocis munus gerit, sed illo modo artificioso facultas primaria tam mutatur, creaturet status tam innaturalis, ut natura artificio cedat. Libenter concedimus, signa typographica effingere vocem; hoc naturae non repugnat, sed si id, quod typis mandatum est, unice in vocis locum subintrat, tunc certe naturae convenire non potest, eundem hominem loqui eodem tempore, locis longe distantibus et saepe linguis diversis. Praeterea etiam diversus est effectus libertatis loquendi et scribendi, nam “verba volant et scripta manent.” Quamquam igitur libertas preli fundamentum habeat in jure naturae, tamen, ut nobis videtur, ille naturalis status eo modo mutatur, ut stricto sensu non amplius naturalis facultas dici possit, et expressa legis scriptae sanctione indigeat¹.

¹ Confer. CHASSAN, 1. l., I, 5, qui contrariam defendit sententiam.
Vir. Consult. EVERTSSEN DE JONGE, in opusculo egregio, *Bijdrage*

Sed illa quaestio proprie non pertinet ad provinciam quam suscepimus. Legislatores libertati typographicae minus ambiguum fundamentum dederunt, hocce jus lege publica sancientes. Exstat igitur, sed exstat ubique quibusdam conditionibus, legibus indicatis. Quamdiu cogitata mente nostra sunt inclusa, fruuntur libertate infinita. Mundum externum non attingunt eumque laedere non possunt. Sed simulac haec cogitata sunt enunciata, oritur necessitudo inter loquentem vel scriptorem et eum, cui cogitata illa communicantur. Verba constituant corpus, quod, sicut omnia corpora, impedire potest libertatem alterius et perniciosa facta committere.

tot de Leer der zoogenaamde »délits de la Presse» (Ultraj. 1847), heeft de re animadvertiert: »Een natuurregt om geschriften te drukken en uit te geven, is in den strikten zin des woords niet denkbaar, want in den *natuur-toestand*, zoo als men zich denzelven moet voorstellen, bestaat er niets dan een regt om *zijne gedachten* te uiten door te spreken en aldus in zekeren zin te handelen. *Schrijven*, en nog veel meer het geschrevene *drukken*, zijn eene *kunstmatige* uiting van gedachten, eene *kunstmatige* handeling, dezelve zijn dien ten gevolge *vreemd* aan *natuur-toestand*. Alleen in zoo verre als dit schrijven en drukken eene *ontwikkeling* is van het regt om vrij te zijn, om vrij *zijne gedachten* te uiten en zoo doende *vrij te handelen*, kan men deze regten als *oorspronkelijk* zich denken en *natuur-regten* noemen, dewijl men toch *natuur-regt* en *natuur-toestand* zich moet voorstellen en dezelve uit de natuur van den mensch als moreel en intellectueel wezen moet afleiden, en niet zoodanige regten en zoodanigen toestand, als *inderdaad bestaan hebbende*, moet aannemen.”

Instigando securitati publicae, falso imputando privato honori (huic bono inaestimabili) saepe minantur illa verba, et damnum creator, cuius vindicatio summo jure rogari potest.

Sed hoc damnum datum nondum sufficit. Juris criminalis fundamentum non unice consistit in commodo publico. Accedere debet malum propositum. De voluntate nocendi certiores esse debemus, si societati licitum erit cogitata illa enuntiata tanquam injurias punire. Hoc, cum sit effectus actionis plane intellectualis, delictum, ope typographiae commissum, per se etiam magis ex malo affectu oriri debet, quam cetera delicta quae ex actione physica profluunt. Sicut ad naturam furti pertinet voluntas acquirendi res, quas scimus in dominio esse alterius, sic in delictis, ope typographiae commissis, nimirum quantum spectat injurias, in primis patere debet de voluntate nocendi, de furto intellectuali securitatis publicae aut bonae existimationis et honoris privatorum, quae sunt jura non minus sacra quam jus dominii ¹.

¹ »Dans les délits qui se commettent par la voie de *la Presse*, comme dans tous les autres délits, il faut pour caractériser le crime, que la volonté de nuire soit jointe au fait matériel de l'action. Ainsi point d'injure sans esprit d'injure. On peut se tromper au préjudice du public comme au sien propre; donc point de délit lorsqu'on n'aperçoit que la simple erreur, sans l'intention de manquer aux lois, ou de porter un dommage à la société." PORTALIS

Nemo certe erit qui perhibere velit ope typographiae talia delicta non commissa fuisse et hodie adhuc committi. Nemo igitur necessitatem negabit legum quae ea reprimunt et hoc modo publicam et privatam securitatem tuentur ⁴. Magni omnino facienda est harum legum tutela, quae et sacerrimam libertatem defendunt et gravissima delicta coërcent. Quia saepe, nomine publici commodi, leges illae naturalia jura laederunt, non pauci omnem legem hujus generis semper aestimaverunt restrictionem libertatis cogitata sua ope typographiae enunciandi. Falsissima sententia! Acerrimus qui fuit unquam hujus libertatis defensor, celeberrimus CHATEAUBRIAND, quamecumque occasionem arripuit rogandi gravissimas poenas, “*immanem legem*,” sicut dicit ², contra delicta quae ope typographiae committuntur. Hoc modo causae quam defendebat, revera profuit, et quicunque eundem fovebat amorem nobilissimae hujus facultatis libere cogitandi et loquendi, cum illo illustri propugnatore hanc *legem immanem* rogare debet. Immanis lex tutissimum est Palladium libertatis opinione profitendi. Quum graves poenas minans, omnia delicta hujus gene-

(pater) *Rapport au Conseil des Anciens*, diei 15 mensis Avrilis, anni 1797. Conf. CHASSAN, opere laud., I. 19.

⁴ Infra, capite sequenti, tractanda nobis erit eorum sententia, qui jus omnia dicendi postulant.

² *De la Monarchie selon la Charte*, Cap. 20. *Discours à la Chambre des Pairs*, etc.

ris non extirpaverit (quod non fieri posset) sed eorum numerum valde reduxerit, quum sacra illa libertas non amplius socia omnium scelerum, patrona calumniae, injuriarum et mendacii, sed investigator boni et aequi, defensor virtutis et veritatis erit, tunc demum ad finem suum pervenerit, tunc auctoritas sua erit tam infinita quam utilitas. Contra etiam illae leges nisi id quod revera delictum constituit reprimere et punire non possent. Si illi, quorum munus est leges condere, libertatem, qua etiam ope typographiae fruimur, suae securitati et commodo sacrificaverint, si hae leges non amplius tenderent ad mendacium et calumniam, idcirco ad injuriam praeveniendam, sed ad removendam veritatem, tunc illa veritas contemta semel imperium, ei debitum, alio modo recuperabit et sine magnis difficultatibus eum adversarium vinceat, qui fortis esse nequit, quia mendacio tanquam armis utitur.

Maxime igitur refert, ut de elementis delicti, opportunitate cogitatorum communicationis commissi, accurate statuamus, nam ubi haec non adsunt, nullum etiam delictum adesse posset. Sicut jam supra admonuimus, duplicis sunt generis: *damnum*, quod ex publicitate oriatur, et malum propositum scriptoris, *animus injuriandi*. Videamus paragraphis sequentibus de singulis illis requisitis.

§ 2. *De communicatione cogitatorum.*

Omnes consentiunt fundamentum juris puniendi vel unice vel certe primarie in eo consistere, ut damnum datum vel damnum quod fieri possit resarciantur.

Hoc damnum, quod igitur in omnibus delictis semper adesse debet, non est idem in singulis casibus et a natura ipsius delicti commissi pendet. Quum in furto illud damnum ex laesione juris dominii oriatur, in delictis ope typographiae commissis, ex injuria scripto illata profluit. Hanc injuriam eo graviorem reddi ultro apparet, quo latius ejus promulgatio extendatur, ad quo plures injuriae illatae cognitione pertingat.

Scriptores Francici juris criminalis distinguunt inter publicationem et publicitatem (*la publication et la publicité*). Cogitata nostra, mente inclusa, sunt res incorporales, quae neminem laedunt, et nullo modo ad legislatorum provinciam pertinent. Haec, ore emissa vel in scripti formam redacta, corpus constituunt, aptum, ut auribus excipiatur vel oculis aspiciatur. Dicitur id significatio cogitatorum vel publicatio. Talis significatio, tunc etiam quum cogitata communicata poenae obnoxia essent, non sufficit ad constituendum delictum, nam si opiniones ore emissae vel in scriptum redactae celantur, eo modo, ut ab aliis non audiri vel legi possint, nullum efficiunt damnum et ad privatum pertinent dominium ¹.

¹ Scriptor Anglicus BLACKSTONE enarrat, celebrem Algernon Syd-

Sed quum illa significatio etiam ad alios se extendat, quum eo modo privatum dominium fiat publicum et teneatur is qui illa cogitata enuntiavit, respondere is debet de consequentiis hujus actionis¹.

Ubi igitur agimus de delicto per cogitatorum communicationem commisso, necessarium est ut constet cogitata sic revera cum aliis communicata esse. Secundum naturam diversam instrumenti quo utimur, modus publicitatis vel communicationis etiam diversus esse debet. Sicut cogitatum, ore enuntiatum, requirit ut proferatur coram pluribus hominibus, sic etiam necesse est ut scriptum ad complurium notitiam perferatur. Celebris lex Francica diei 17 mensis Maji anni 1819, illa requisita egregie articulo primo exposuit, ubi nimirum legimus: “Quiconque soit par des écrits, des imprimés, des dessins, des gravures, des peintures ou emblèmes, vendus ou distribués, mis en vente ou exposés dans des lieux ou réunions publics, soit par des placards et affiches exposés aux regards du public, etc.” Revera haec verba continent omnes modos quo cogitata nostra exprimere aliisque communicare possumus, omnesque formas qui-

ney capitilis damnatum fuisse propter crimen laisionis majestatis, illatae per scripta, quae edita non erant. Postea Parlementum hanc sententiam, sanis juris principiis contrariam, solemniter sed sero revocavit.

² Confer. Vir. Cons. TH. GRELLET-DUMAZEAU, in opere suo egregio: *Traité de la diffamation, de l'injure et de l'outrage*, I, 94 seqq.

bus investiuntur. Nihil praetermisit legislator. Praeferenda nobis videtur illa enumeratio placito articuli primi legis nostrae diei 1 mensis Junii anni 1830, ubi legimus: “Al wie boosaardiglijk en openbaar, *op welke wijze ook of door welk middel*,” etc. Certe, omnis definitio periculosa est, sed sequendo exemplum legislatoris Francici, qui omnes qui sese offerre possunt casus prospexit, evitaretur periculum, in quod judex, haec verba vaga minus recte intelligendo, facile posset incidere. Leges de hoc arguento omnes ex natura sua jam tot negotia arbitrio judicum relinquere debent, ut, quantum juste fieri potest, illa libertas interpretationis restringi debeat.

Historia jurisprudentiae, in primis in Francia, nos docet ad quam graves et difficiles quaestiones illud publicitatis requisitum jam duxerit. Quid sit locus publicus, quid venditio, quid publicatio, vel in judiciis vel a commentatoribus legum criminalium saepe magna sagacitate investigatum est¹. Talem investigationem a

¹ Neque leges nostrae neque Francicae leges aliquid statuant de numero exemplarium, cuius editio necessaria est ut constituantur publicitas. Lex, quae in Portogallia typographiae usum regit, hac de re prescribit, in art. 6: — secundum versionem Francicam, quam invenimus apud CHASSAN, op. laud. III, 522 — »La publication sera censée avoir eu lieu, toutes les fois que des exemplaires de l'ouvrage auront été distribués à six personnes, ou que trois exemplaires auront été exposés dans des lieux publics ou mis en vente.“

proposito nostro alienam judicamus. Sufficit nobis ut hic tanquam nostram sententiam indicemus, illas quaestiones ambiguas, ubi de animo publicandi non aperte constat, in favorem rei dijudicandas esse, nam omnibus his casibus vera illa publicitas, quam lex spectat, aut prorsus non existit, aut tam exiguo modo, ut publica harum quaestionum dijudicatio magis noceret securitati publicae, quam condemnatio rei prodesset in futurum.

§ 3. *De animo injuriandi.*

Sequitur secundo loco requisitum doli; post *factum de animo* videamus. Delicti peculiaris injuriarum hoc proprium est, ut non committatur nisi ab eo qui laedendi habet propositum. Aliae laesiones bene multae possunt haberi e culpa etiam et negligentia agentis profectae. Hinc sequitur multum referre quo consilio quid factum sit. Veritas haec, quae de omnibus delictis cùjuscunque generis valet, sane majoris est momenti, ubi de illis agitur factis, quae opportunitate cogitatorum communicatorum committuntur. Si furtum committitur jam statim de malo animo patet; factum indicat dolum. Aliter res sese habet, quando de injuriis agimus. Verba inconsiderate ore enunciata, aliis videri possunt injuriosa, quae ab aliis sine ullo malo proposito enunciata sunt. Hi in iis mentem deprehendunt, ab illis prorsus

alienam. Significatio verborum tam est diversa; talis exstat differentia inter modum, quo singuli homines scripta verba interpretantur, ut nullum cogitatum enuntiari posset, cuius malum consilium multis non luce clarius videretur. Igitur nisi omne commercium inter homines deleamus; nisi, ridiculo timore ducti, quamcunque cogitatorum enuntiationem cum fructibus suis inaestimabilibus, prohibeamus, illud principium, quod praesertim dolus constitutus delictum, nunquam negligamus.

Vox “animus injuriandi” Romanis incognita erat, et solum apud Juris Romani interpretes invenitur¹. Convenit cum voce “dolus,” et etiam illa significacione a nobis accipienda est. Igitur necessarium minime est, ut alteri damnum inferre velimus, ut consilium habeamus alijus honorem vel bonam existimationem directe laedendi; quamvis indirecta injuria utamur ad assequendum propositum quoddam illicitum et injustum, exstat delictum, si solum, aliquo modo, de malo consilio, de dolo, pateat. Ceterum, de ipsa necessitate doli ad constituendam injuriam jam Jurisconsulti Romani conveniebant: “Quum injuria *ex affectu facientis* consistat, pati quis injuriam, etiamsi non sentiat, potest; facere nemo, nisi, qui scit, se injuriam facere². Hoc exemplum egre-

¹ Conf. TH. GRELLET-DUMAZEAU, in opere laud. I, 148.

² Vid. Dig. XLVII. tit. X. fr. 3 *de inj. et fam. lib.*

gium hodierni legislatores secuti sunt. Apud omnes eadem valet regula, quamquam nonnulli hanc veritatem tam perspicuam censuerunt, ut eam in legibus suis non expresse memoraverint. Sic, ex. gr., lex Francica nihil de eo statuit¹.

Ex iis quae praecedunt jam statim sequitur, ut in delictis injuriarum, nunquam de *culpa* agendum sit. Negligentia, imprudentia, vel ea omnia quae culpam constituunt, jam ex sua natura dolum excludunt. Revera, etiam loquendo vel scribendo, culpa nostra, sed sine dolo, damnum physicum efficere possumus, quod resarcitionem postulat, sed ad illam resarcitionem acquirendam judex civilis adeundus est. Contra etiam, ut facile patet, hoc damnum datum existere minime requiritur. Sufficit ut constet de voluntate *dolose* agendi².

¹ Lex nostra diei 1 mensis Junii anni 1830, ubi de agressionibus contra dignitatem regiam agitur, expresse illud requisitum mali propositi indicavit. Legimus nimirum, in art. 1 hujus legis: »Al wie *boosaardiglijk* en openbaar,” etc. De justa significatione hujus verbi »boosaardiglijk” confer. sententia Curiae Supremae diei 17 mensis Junii, anni 1846. *Weekblad van het Regt*, №. 715.

² »Auf den nachtheiligen Erfolg, den eine gewisse Handlung oder Aeusserung auf unsere Ehre oder guten Namen *wirklich* gehabt hat, kommt es bei die Injurie nie wesentlich an, sondern darauf: ob der Beleidiger sich selbst eine ungebührliche Verachtung Anderer erlaubt, und ihrem vollkommenen Rechten in Anschung der Ehre, etc., seinerseits entgegen gehandelt habe?” Vid. WEBER, in opere celebri *Ueber Injurien und Schmähschriften*. Leipzig, 1811, I, 59.

Alia est quaestio, an accusator dolum probare debeat, vel reus absentiam mali consilii? Illud officium nunc uni nunc alteri incumbit. Sicut ex quodam homicidio praesumtio doli oritur, et ille qui vel culpa, vel ob causam licitam hoc damnum physicum dedit, innocentiam suam probare debet, sic etiam absentia mali animi probanda est ab eo, qui, ore vel scriptis, cogitatum enuntiavit, quod, prima specie, perspicuam injuriam continet. Contra vero, quum malum consilium occultum sit, quum de justa verborum sententia statim dubium oriatur, officium probandi Ministerio Publico incumbit. Igitur si agitur de calumnia, ubi de mendacio constat, sine ullo dubio accusati est demonstrare, se nesciisse factum significatum mendacium continere¹. Ad hanc probationem perhibendam, omnibus remediis uti possunt reus atque accusator. Licet iis alias indicare partes scripti, quam de quibus sententia est ferenda; tempus quo scriptum editum est, mores rei, condemnationes praecedentes, etc.².

Quam graves difficultates ex illo requisito, ut de animo injuriandi constet, oriri possint, unicuique plus quam manifestum erit. Sed earum disquisitio non magis ad nostrum propositum pertinet quam disquisitio

¹ Conf. CHASSAN, op. laud., I, 21 seqq. GRELLET-DUMAZEAU, oper. laud., I, 150.

² Confer. CHASSAN, opere laud., I, pag. 26 seqq.

difficultatum quae ex requisito publicitatis profluunt. Hoc iis relinquendum est qui specialiter de jure constituto agunt. Repetere tamen volumus quod jam supra de publicitate diximus, nimurum, civitatem, cogitorum communicationem sistere cupientem, non de justa via decedere, et omnibus illis actionibus, in quibus animus injuriandi rei non facile probari posset, consilio occulto scriptoris, quod manifestum reddere credebat, non favere. Experientia, tum in aliis regionibus, tum in patria nostra, docuit, judicis religionem in omnibus illis casibus dubiis et fere inextricabilibus magis favere commodo rei quam accusatoris. Major hominum pars autem, excitata suspicionibus Ministerii Publici, non, sicut judices, legibus adstricta, et semper cupida malum quaerendi inveniendique, hic etiam ubi non existit, per magnam judiciorum publicitatem, omne hoc damnum morale patietur, quod praevenire volebat civitas ⁴.

⁴ Vir. Cons. TH. GRELLET-DUMAZEAU, in opere laud. (I, 150) mentionem facit de lite, instituta contra celebrem poetam BÉBANGER, qui quaedam epigrammata ediderat. Uni horum epigrammatum de- erant duo versus, punctis indicati. Ministerium Publicum illa puncta injuriam credebat, sed, ut facile intelligitur, judices contrariam enuntiabant opinionem. Sed quae erat consequentia hujus litis? Post paucos dies fere nemo in tota Francia versus ignorabat, quos poëta publicare non ausus erat, sed qui nunc ad aures multitudinis pervenerant.

§ 4. *De probatione veritatis.*

Cum iis quae de animo injuriandi in medium protulimus, arcte cohaeret gravis et difficilis illa quaestio, an veritas facti imputati ex juris principiis actionem injuriaie tollat; an reus, probans veritatem dicti vel scripti, nulli poenae obnoxius sit; an solum *calumnia* (quae mendacio nititur) vel etiam *maledicentia* (cujus fundamentum est veritas, malo proposito divulgata) punienda sit. Valde diversae sunt hac de re sententiae scriptorum, et non minus diversa praecepta, quae in singulis regionibus valent. Antequam has sententias et haec praecepta inquiramus, necessarium erit ut paucis verbis eorum originem historice investigemus et fontem indicemus, ex quo illae lites ortae sunt.

Leges, quae tempore Solonis in Graecia vigebant, probationem veritatis permittebant. Quum dissimilator probare posset, sua dicta vel scripta veritati convenire, ab omni poena liber erat¹. Quid antiquissimis temporibus apud Romanos hac de re valeret, incertum est. Fragmenta legum XII tabularum, quae nobis restant, revera poenas statuunt in delicta convicci² atque libelli famosi³, sed an licitum esset veritatem probare injuriaie, ope vocis

¹ Lex Solonis statuebat: »qui de alio detraxerit, ni probaverit verum esse quid objicit probrum, muletator.»

² Videatur Tabula VIII. fragm. 4.

³ Videatur Tabula VIII. fragm. 1.

vel scripti allatae, non aperte patet. Per integrum tempus reipublicae et usque ad regnum Augusti a nullo scriptore hoc dubium sublatum est. Nonnulli¹, existimantes Romanos leges suas ex jure Graeco hausisse, inde duxerunt Romanos et hac in re sententiam Solonis secutos fuisse. Alii² tamen, ipsum illud silentium tanquam argumentum adhibuerunt, ut contrariam opinionem tuerentur, sed lucem necessariam ex incertis his deductiobibus frustra apud omnes quaerimus.

Primum vestigium Romanorum doctrinae inveniunt commentatores et scholiastae apud poëtam Horatium. In Satyra I libri secundi narratur dialogus poëtae cum quodam Trebatio, de juribus poëtae Satyrici. Trebatius in fine hujus dialogi dicit leges poenas minari contra eos qui mala carmina scripserunt. Horatius hoc concedit, respectu malorum carminum, sed simul rogat: “Esto, si quis mala; sed bona si quis, judice condiderit laudatus Caesare? Si quis *opprobriis dignum latraverit integer ipse?*” Cui interrogationi Trebatius respondet: “solventur risu tabulae, tu missus abibis.” Patet ex his verbis, Romae etiam probationem veritatis licitam fuisse, tempore Augusti. Incertum tamen est utrum illa doctrina legibus recepta esset, an contra earum praecepta valuisset, jure civili a Praetore mitigato.

¹ Conf. CHASSAN, opere laud. I. 322.

² Conf. GRELLET-DUMAZEAU, opere laud. I. 317.

Tandem sub regno Alexandri Severi explicitum de hac re apparebat statutum, a Jurisconsulto celeberrimo Paulo scriptum. Hoc statutum, cognitum nomine “eum qui nocentem” et postea vi legis in Justiniani Pandectis receptum¹, sequentia continet verba: “Eum qui nocentem infamavit, non esse bonum et aequum ob eam rem condemnari; peccata enim nocentium nota esse et oportere et expedire.” Commentatores Digestorum hoc preecep-
tum interpretati sunt modo tam diverso, ut ad conclu-
sionem prorsus oppositam pervenerint singuli. Nonnulli
(sicut Jacobi et Bermundus)² ex his verbis deduxerunt,
ut factum imputatum, veritati conveniens, nunquam in-
juriam constituat. Alii (et inter eos viri magnam ha-
bentes auctoritatem, sicut Voet³ et Julius Clarius⁴)
contra spectaverunt haec verba tanquam exceptionem
a regula communi. Veritas universe non ab injuria li-
berat, sed quum non sit animus injuriandi, qui nos duxit
ad divulgandum factum quoddam, sed salus publica; si
hoc modo conemur efficere ut notae sint hae res quas
scire reipublicae interest, tunc illa veritas probata delici-
tum compensat et ab omni poena liberat.

Ultima illa interpretatio magis veritati convenire vi-

¹ Digest. Lib. XLVII, tit. X, *de injuriis et famosis libellis*, fragm. 18,

² Confer. sententiae horum Doctorum, citatae a GRELLET-DUMAZEAU,
in Oper. laud. I. 323 sqq.

³ Comm. ad Pandectas XLVII, tit. 10, N^o. 9.

⁴ Recept. Sentent. Lib. V. § *injuriae*, N^o. 15.

detur, sicut etiam patet ex pluribus edictis contra libellos famosos, relatis in constitutione Theodosiana. Legimus nempe in libro primo hoc praeceptum: “Si quando famosi libelli reperiantur, nullas exinde calumnias patientur ii quorum de factis vel nominibus aliquid continebunt; sed scriptoris auctor potius requiratur, et repertus cum omni vigore cogatur his de rebus quas proponendas credidit, comprobare: nec tamen suppicio, etiamsi aliquid ostenderit, subtrahatur”¹. Ex hisce verbis igitur patet veritatem scripti universe non sufficere. Si scriptor non nocentem infamavit, si solum *factum* sed non *peccatum*, quod notum esse “oportet et expedit,” imputavit, tunc puniatur, quia animus injuriandi adest.

Rescriptum imperatorum Diocletiani et Maximiani cui-dam Victorino, quod invenimus in Cod. Just. Lib. IX, titul. XXXV, de *injuriis*, Constitut. 5, ad novas duxit difficultates: “Si non convicci consilio — dicitur in hoc rescripto — te aliquid injuriosum dixisse probare potes, *fides veri* a calumnia te defendit.” Quid significant haec verba *FIDES VERI?* Nonnulli interpretantur rescriptum hoc modo: “Si probare potes animum injuriandi abfuisse, tunc *probatio veritatis facti quod imputas* a calumnia te defendit.” Si illa interpretatio vera esset, absentia animi injuriandi non sufficeret. Puniretur aliquis si praeter absentiam doli non etiam veritatem facti impu-

¹ Codex Theodos. Lib. I, de famosis libellis.

tati probare posset. Hoc sensu rescriptum citatum plane mutat ea quae antea valebant, quum solum animus injuriandi requireretur, et veritas, nisi singulis hisce casibus, lege “eum qui nocentem” indicatis, nunquam impunitatem constituere posset.

Sed alii haec verba *fides veri* alio modo intelligunt et rescriptum hoc modo interpretantur: “Si probare potes animum injuriandi abfuisse, *haec probatio* a calunnia te defendit.” Talis interpretatio ad finem prorsus contrarium nos dicit. Si revera justa est, congruit cum iis quae antea valebant. Tunc regula communis est: “nulla injuria sine animo injuriandi” sed etiam “nulla impunitas veritatis si ille animus injuriandi adest.” Lex “eum qui nocentem” contra exceptionem constituit hujus regulae communis, nimirum, specialibus illis casibus, in quibus scientia veritatis tanti esset momenti saluti publicae, ut absolvat eum, qui hanc veritatem promulgavit, tunc etiam quum malo consilio non careret¹.

Nimis longi fieremus si singulorum commentatorum disputationes de his verbis, supra monitis, examini subjiceremus. Praeterea tale examen magis ad grammaticam quam ad jus pertinere nobis videtur. Sufficiat, antequam inquirimus praecepta popolorum posterioris aetatis, hic breviter indicasse, quid de illa probatione veritatis apud

¹ Videatur etiam de toto hoc argumento A. D. WEBER, *Ueber injuriën und schmähsschriften*, I, 175 sqq.

Romanos valeret, et quomodo ipsae leges, quae ibi de hac re vigebant, ad magnam diversitatem opinionum, quae hodie exstat, duxerit.

Sicut Romani inter “convicia” (delicta ope vocis commissa) et “libellos famosos” (delicta ope scripti commissa) distinguebant et delicta haec gravioribus poenis vindicabant quam illa, eodem modo in Anglia etiam magna exstat differentia, an injuria voce vel scripto committatur. Injuria verborum dicitur “slander,” injuria scripti “libel.” Illa distinctio, in Francia ignota, et ibi saepe tractata immerita contemtione¹, in primis hic perspicua patet, ubi de probatione veritatis agitur. Quum injuria voce commissa sit, probari potest veritas in casibus lege “eum qui nocentem” praevisis. Quod attinet ad libellos famosos, iterum distinguitur inter actionem publicam et privatam. In primo casu probatio veritatis nunquam permittitur. Civitatis non interest scire an factum illicitum revera existiterit. Legislatores nisi ad malum propositum, ad connamen tranquillitati publicae nocendi animum attendunt. Veritas gravitatem libelli non nisi augere potest². Contra tamen, quando instituitur actio civilis, probatio veritatis semper reo competit, nam si hujus veritatis causa dam-

¹ Videatur sententia viri celebri, ducis DE BROGLIE, apud CHASSAN opere laud. I. 8.

² Cognita est illa sententia a viro celebri Lord MANSFIELD enunciata: »*The more the truth the more the libel.*“

num passus est accusator, hoc damnum suae culpaे debet, et injustum esset ut alius id damnum pateretur ¹.

In Dania ², Civitatibus-Unitis Americae Septentrionalis ³ et Bresilia ⁴, probatio veritatis est regula communis, solum quibusdam exceptionibus limitata. In Borussia ⁵, Austria et Regno duarum Siciliarum ⁶ contraria valet regula. In Francia (et fere eodem modo in Belgio ⁷ et Portogallia) ⁸ aliud legislatores introduxerunt systema, quod magis accurate nobis investigandum est.

Articulus 20 legis diei 26 mensis Maji, anni 1819, continet praeceptum, quod et hodie de probatione veritatis valet, nam quamquam lex anni 1822 ⁹ hoc statutum abrogavit, duos annos post, nova lege id quod anno 1819 praescriptum fuit restitutum est ¹⁰. Ecce verba hujus articuli: “Nul ne sera admis à prouver la vérité des faits diffamatoires, si ce n'est dans le cas d'imputation contre des dépositaires ou agents de l'autorité, ou

¹ Conf. BLACKSTONE, *Comment.* III, Cap. 8.

² Rescriptum anni 1799, apud GRELLET-DUMAZEAU, I, 347.

³ GRELLET-DUMAZEAU, *ibidem*.

⁴ Codex Criminalis, Art. 234.

⁵ Cod. Crim.

⁶ GRELLET-DUMAZEAU, *ibidem*.

⁷ Vid. Art. 4, 5 et 6 decreti, diei 20 mensis Julii, anni 1831.

⁸ Lex quae typographiae usum regit, Art. 14 et 15.

⁹ Lex diei 25 mensis Martis anni 1822, Art. 18.

¹⁰ Lex diei 8 mensis Octobris anni 1830, Art. 5.

contre toutes personnes ayant agi dans un caractère public, de faits relatifs à leurs fonctions," etc. Regula est igitur: "Veritas injuriam non tollit et probari nequit," sed quaedam exceptiones necessariae sunt. Hae exceptiones non tantum, ut lex "eum qui nocentem" (secundum interpretationem supra datam), graviora crimina spectant, sed finem habent prorsus politicum. Convenit imperii formae constitutionali, ut acta eorum dijudicentur qui munera publica gerunt. Cum sint mandatarii civitatis universae et custodes atque curatores bonorum publicorum sacerrimorum, maximi est momenti ut quisque sciat quomodo officia sua difficultia impleant gubernatores. Scientia veritatis his casibus carere non possumus. Quod attinet autem ad privatos, scientia eorum actionum plane esset inutilis et simul perniciosa saluti publicae. Vetetur igitur probatio veritatis in causis privatorum, et valeat illa regula aurea: "la vie privée doit être murée" ¹.

Antequam opinionem nostram de his omnibus emittamus, restat ut investigemus quid de illa probatione veritatis apud nos receptum sit. Leges typographiae speciales in patria nostra paucae sunt numero et parvi momenti. Quia urgente demum necessitate illae leges factae sunt, brevitate, severitate et imperfecta conditione laborant, sicut omnes leges hujus generis. Hocce sibi spec-

¹ Sententia enunciata a celebri ROYER-COLLARD, in Francico coetu populi delegatorum, anno 1819.

tavit legislator, ut praeceptum conderet quod in delictum applicaretur, cuius repressio tempore confectionis praesertim necessaria erat¹. Certo quodam systemate non opus erat, quia codex criminalis huic necessitati prospiciebat. Ad hunc codicem ut configiamus igitur necesse est. Doctrina quae in patria nostra de probatione veritatis recepta est, invenimus in praeceptis sequentibus: “Schuldig aan het wanbedrijf van lastering zal zijn, die, hetzij op of in openbare plaatsen of bijeenkomsten, hetzij in eene authentieke of publieke akte, hetzij in een gedrukt of ongedrukt geschrift, dat aangeslagen, verkocht of verspreid is geworden, aan iemand, wie het ook zij, daden te last gelegd zal hebben, welke, ingeval zij plaats hadden, dengenen, tegen wien zij geduid zijn, aan lijf- of hoetstraffelijke vervolging, of wel blootelijk aan de verachting en den haat der burgeren bloot zoude stellen”². Et porro: “Wanneer het te late gelegde feit naar vereisch van regte bewezen is waar te zijn, zal de telastleger vrij van alle straf zijn. Als bewijs naar vereisch van regte zal niet aangemerkt worden dan hetgeen uit een vonnis of eenige andere authentieke akte ontstaat”³. Systema codicis criminalis nostri ambiguitate laborat. Veritas omnem tollit injuriam, si probatur ex sententia ju-

¹ Hujus generis sunt leges diei 28, mensis Septembris 1816; diei 16, mensis Maji 1829 et diei 1 Junii 1830.

² Videatur Cod. Poenalis, Art. 367.

³ Videatur Cod. Poenalis, Art. 370.

diciaria vel charta authentica, sed omnibus aliis casibus illa probatio excluditur.

Post historicam illam disquisitionem, liceat nobis paucis verbis opinionem nostram emittere de gravibus et difficilibus illis quaestionibus, ut secundum eam dijudicemus ea praecepta quae de jure patriae supra memoravimus. An sanis juris principiis convenit ut lex poenas minetur contra has injurias quae veritatem continent; ut puniatur non solum calumnia sed etiam maledicentia? Huic interrogationi affirmantes respondemus, quamquam scriptores qui magnam exercuerunt auctoritatem, contrariam enuntiaverunt opinionem.

FILANGIERI post comparationem legislationis Atheniensium, ubi probatio veritatis licita erat, cum legislatione Anglica, dicit: "Je préférerais la législation d'Athènes.... Je ne crois pas qu'il soit juste et utile de punir la simple médisance. Le législateur ne doit point s'effrayer de cette censure privée; loin d'être funeste, elle sera très utile aux moeurs publiques; elle enchaînera le vice en épouvantant l'homme vicieux" ⁴. Celeber scriptor juris criminalis in Francia, FAUSTIN-HÉLIE, eandem tuetur sententiam: "Dans une société forte et pure — dicit ille scriptor — la vie privée devrait être ouverte aux regards aussi bien que la vie publique; car les actions de chaque membre de la cité appartiennent à tous, puisque

⁴ *Science de la législation*, III, 29.

d'une manière directe ou indirecte, secondaire ou immédiate, elles influent sur le bonheur et la sécurité de la cité entière”¹. Laudamus denique verba celeberrimi scriptoris Germanici, WEBER, qui etiam probationi veritatis fayet: “Ausser den bisher angeführten Fällen (quae spectant verborum divinorum interpretes, medicos et eos omnes qui muneris causa, quo funguntur, ad silentium coguntur) muss den Rechten nach die Einrede der Wahrheit gegen Injuriénklagen, immer zugelassen werden. Diess erfordert sogar die gemeine Wohlfahrt. Wer zur Uebertretung der Gesetze geneigt ist, fürchtet oft die üble Nachrede mehr, als die ordentliche Strafe. Soll also die Wahrheit gegen Injuriénklagen nicht schützen, so schwächt die Gesetzgebung einen der wichtigsten Bewegungs-Gründe zur Beobachtung ihrer Vorschriften”².

Argumenta quae igitur hi scriptores — sicut ex locis citatis patet — contra opinionem eorum qui probationem veritatis non licitam existimant, attulerunt, sunt haec duo, ut talis improbatio veritatis injusta sit et simul contraria saluti publicae. Injustum est — ut dicitur — illum puniri qui vere dicit. Falsa tamen est illa sententia, ex confusione subjecti et objecti orta. Ille enim non punitur qui factum verum enuntiavit, sed punitur qui animo injuriandi alteri damnum afferre co-

¹ *Revue de législation*, IV (1844), p. 206.

² *Opere laudato*, I, 175.

natur. Veritatem enuntiare non solum non poenam meretur, sed contra etiam sacerrimum est officium quod nobis omnibus incumbit. Si tamen non est amor ille nobilis salutis publicae, sed turpe consilium aliis nocendi, quod nos ducit ad veritatem divulgandam, tunc certe factum committimus quod tam sensu morali quam stricto jure a legislatore puniendum est. Jam supra vidi mus injuriam et fere omnia delicta quae opportunitate cogitatorum communicandorum committuntur, praesertim delicta intellectualia esse¹. Criterium hujus delicti — ut diximus — est malus animus; (injuria ex affectu facientis)². Et quando igitur malus ille animus (qui a maledicentia non magis est alienus quam a calumnia) conjungitur cum altero requisito, nimirum publicitate, i. e. damno (quod certe etiam si injuria veritatem continet, imo his casibus facilius, existere potest), quam ob rem dubitaremus etiam injuriam dicere quae veritate nititur eamque punire; quam ob rem non praescriberemus severas poenas, non solum contra calumniam sed etiam contra maledicentiam, quum felices nos aestimare oporteret, saltem quosdam exstruere aggeres contra hanc pestem socialem?

Et quid secundo loco valet de utilitate? An revera, sicut censent scriptores citati, illa veritatis divulgatio per

¹ Videatur, pag. 7.

² Videatur, Dig. XLVII, Tit. X, fragm. 3, § 1, *de inj. et fam. lib.*

maledicentiam numerum vitiorum restringet et delinquentem terrebit? Valde dubitamus num illud argumentum justum sit. Nam primo loco, ut recte animadvertis GRELLET-DUMAZEAU¹, quae vitia talis divulgatio spectare potest? Si agitur de crimine, de delicto, imo etiam de contraventione, portae justitiae cuidam apertae sunt, et per viam juridicam finem propositum assequi possumus. Quid igitur restat, nisi illa vitia moralia, quae non ad humanam jurisdictionem pertinent, nisi haec vulnera horribilia sed insanabilia, quorum divulgatio in hac parte populi, cui sunt incognita, nonnisi perniciosum posset exercere effectum, dum certe non corriget eos, quibus non sunt occulta. Praeterea rogare possemus, an non etiam alio modo assequamur finem, cuius gratia tam maledicentiae favent scriptores, nimirum ut, pudoris et proprii commodi causa, illi homines se abstineant a vitiis, qui non virtute et moralitate eo ducuntur? Nonne experientia, cuius praecepta in tali disquisitione tanti sunt momenti, nos docuit, quallem vim opinio publica exerceat in animalium hominis vulgaris? Vetus lex maledicentiam, scriptis vel publice ore enuntiatam, sed vetare non potuit occultam illam maledicentiam, quae conciones privatas, colloquia familiaria nostrorum dierum occupant, et cuius auctoritas fere quodam limite caret. Quis nostrum non curat opinionem publicam, non hanc opinionem quae

¹ Videatur opere laudato, I, 350 sqq.

ex scriptis patet, sed illam quae, simul perniciosa et utilis, tacite et lento gradu procedit, injurias infligens, eo magis terribiles, quia majore impunitate gaudent. Ergo dum justitia hujus systematis: "veritas non ab injuria excusat" nulli dubio subjecta est, utilitas contrarii principii aut ea spectat vitia, quorum ignorantia civitati tantum prodesse posset, aut quorum scientia eodem modo acquiritur, tunc etiam quando probatio veritatis non est licita. Nostram igitur faciamus auream illam, cumque opinione nostra prorsus convenientem sententiam celebrissimi ROYER-COLLARD: "la vie privée doit être murée." Libertas ea, quae cogitamus et judicamus patefaciendi quam pro viribus defendere conari vellemus, tunc in primis servatur, quum restringamus casus quibus ea abutiri possunt homines, quum praeveniamus, quominus ejus auctoritas propriis vitiis pereat.

Ex iis quae praecedunt facile intelligitur nos probare systema, quod legislatores Francici, anno 1819, secuti sunt, quinum vetarent, ne sancta vita privata oculis malvolentiae aperiretur et solum his casibus probationem veritatis permitterent in quibus populi permagni interest recte scire facta et fata nonnullorum hominum. Quousque hanc scientiam se extendere debeat, alio loco indagare conabimur¹.

Restat ut nostram legislationem investigemus. Systema

¹ Videatur infra capite secundo.

Codicis Poenalis mixtum est. Permittitur probatio veritatis si ex sententia judicaria vel actu authenticō patere posset, prohibetur omnibus ceteris casibus. Animadvertamus primo loco, vocem "calumnia" (laster), quam invenimus in articulo 367, proprie minus recte sese habere. Calumnia, tam in Francia quam apud nos, significat imputationem facti falsi, et non solum illa calumnia sed etiam plurimis casibus imputatio veritatis lege nostra punitur⁴. Magis conveniret igitur vox: "diffamatio" (*diffamation*), quae facile verbis "kwaadwillige aantijging" vel aliis sermone nostro reddi possit. Sed praeter hoc vitium minoris momenti totum systema justitiae principiis contrariorum nobis videtur.

Quid significant hae exceptiones in commodum veritatis probationis, si ex sententia judicaria vel charta authentica patet? An spectant totam classem hominum, qui munere publico funguntur, sicut in Francia, vel quaedam graviora delicta, quorum scientia in primis necessaria est, sicut in aliis locis? Minime! Dependent exceptiones tantum a modis quibus veritas probari potest. Si hoc modo indicato veritatem probare possumus, malum nostrum consilium non impedit, quominus omni poena liberi simus. Sed si alio modo eandem veritatem demonstrare volumus, probatio talis non valet et puni-

⁴ Confer. AD. DE GRATTIER, in opere egregio: *Commentaire sur les lois de la Presse et des autres moyens de publication*, I, 176 seqq.

tur animus injuriandi. Modus quo injuria probari potest quaestionem dirimit, an factum poenae obnoxium sit.

Gravia igitur certe fuerunt argumenta quae legislatorem hujus codicis duxerunt ad negligendam in hisce praeceptis justitiae notionem et sequendum mixtum illud sistema, quod certis juris rationibus est destitutum. Sententiae a judice datae et chartae authenticae — sicut dicitur — jam publicitate fruuntur. Sed primo loco rogare nobis licet, an illa publicitas judiciorum atque chartarum authenticarum non magis sit simulata quam vera? Cuinam nostrum notae sunt omnes sententiae a judice criminali datae? Quae parva sententiarum pars per dia-
ria populo communicantur et quomodo? Et si hoc verum est de sententiis judiciariis, quid dicemus de chartis authenticis, quarum publicitas majus adhuc est mendacium?

Addamus etiam praecipuum legislationis nostraem multis casibus injustum esse. Delinquens, qui per multos annos gravibusque poenis peccata sua luit et damnum, societati allatum, compensavit, quomodo, post redditum ex carcere, honeste vivere poterit, si unicuique licebit malevolis imputationibus omnia ipsius conamina ad bonam existimationem recuperandam, irrita reddere. Ille, qui in primis legis tutela indigeret, hoc modo solus a beneficiis excluditur, quibus alii fruuntur. Observant quidem defensores hujus praecepti codicis nostri criminalis: nullo modo illum delictum committere posse qui veritatem pro-

fitetur, ab ipsis judicibus solemniter agnitam. Sed illud argumentum parvi nobis videtur momenti. Quidquid censeamus de probatione veritatis, optare debemus inter haec duo systemata: ad delictum constituendum sufficit malum propositum et damnum quod inde oriri posset, vel haec elementa non sufficiunt; factum quod imputatur insuper falsum esse debet. Non est via intermedia. Codex noster criminalis, qui plurimis casibus probacionem veritatis non sinit, primum optavit sistema; quam ob rem igitur illae exceptiones, si agitur de sententia judiciali vel charta authentica? Non plures sunt veritatis species. Semper est eadem sive a judice sive ab aliis hominibus constatur. Si altero casu veritas non excusat, etiam primo casu excusare non deberet.

Non possumus non hic aliam indicare inconsequentiā, quae aperte patet ex comparatione hujus systematis Codicis Poenalis cum systemate codicis nostri civilis. Articulus 1413 hujus codicis permittit etiam probacionem veritatis ex sententia judiciaria vel charta authentica⁴. Sequuntur tamen sequentia verba: "Hij echter, die kennelijk met het eenig doel van beleediging, ook dan wanneer de waarheid der aantijging uit een gewijsde of authentieke akte blijkt, iemand deswege niet beleedi-

⁴ »Ook kan de Burgerlijke Regtsvordering niet worden toegewezen, indien door regterlijk gewijsde, of uit eene authentieke akte, blijkt van de waarheid der gedane aantijging.“

gingen vervolgt, is verpligt aan denzelven de schade te vergoeden, welke deze daardoor lijdt.”

Igitur in jure civili, ubi ante omnia alia damnum datum et detrimentum physicum spectandum est, et ubi animus accusati secundarium demum occupat locum, quia non solum dolus sed etiam culpa punitur, malum propositum longe majoris est momenti quam in jure criminali, ubi ipsum hoc malum propositum tanquam princeps requisitum valere deberet! Praeceptum citatum, falsum et perniciosum in jure civili, quia — ut jam supra diximus ¹ — injustum est ut aliis damnum resarciat, quod ipsius culpae laesi debetur, si Codici Poenali insereretur, ibi salutarem exerceret effectum et magna parte tolleret vitia, quae in hoc codice indicavimus ².

¹ Videatur, pag. 31.

² Confer. etiam de toto hoc argumento, Vir. Cons. J. G. GEFKEN, Dissert. de Exceptione veritatis convicti. Lugd.-Batav, anno 1832.

CAPUT SECUNDUM.

DE LIMITIBUS LIBERTATIS COGITATA EDICENDI.

§ 4. *Universe.*

Postquam de elementis delicti opportunitate cogitatorum communicandorum commissi statuimus atque opiniones nostras emisimus de nonnullis quaestionibus quae cum cognitione hujus delicti arcte cohaerent, videamus de iuribus quae ope ejusdem instrumenti exercere possumus et de ejus finibus. Libertas opinionum publicandarum definitur tanquam jus opinione suas publice edicendi. Ut igitur illa vox “libertas” mendacium non in se contineat atque revera libere opinione nostras profiteamur, nullis limitibus illa facultas emittendi opinione restrin-genda esset, vel coarctandum jus disputandi (*droit de discussion*). Sed quamquam ex ipsis verbis illa veritas pateret, fere nullo loco valet et adsunt in singulis legibus praescripta quae non solum delicta ope typographiae

comissa, secundum elementa supra enuntiata, sanctioni
poenali subjiciunt, sed etiam enuntiationem opinionum
de nonnullis rebus interdicunt et contra transgressiones
hujus interdictionis graves minantur poenas. Talia prae-
scripta in primis securitatis publicae causa in legibus in-
veniuntur. Nonnullae materiae vel nimis sanctae vel
nimis periculosae videntur legislatoribus, ut unicuique
liceat de iis disputare atque enuntiatione sententiarum
diversissimarum hanc sanctitatem laedere vel haec peri-
cula creare. Infinitis illis controversiis nonnullis in-
stitutis necessariam arriperemus stabilitatem, sine qua
existere nequeunt. Auctoritas decretorum majoris partis
quibusdam casibus praevalere debet libertati minoris
partis, cui licitum esse non posset dijudicatione, revera
vitiosa sed tantis sophismatibus induita ut illa vitia a
plebe distingui non possint, veritates fundamentales, se-
mel constitutas, quotidie impugnare. Quid de hac re
verum sit, infra videbimus, sed falsa certe fuit illa sen-
tentia, enuntiata semel a celebri scriptore Francico et
hodie adhuc peritissimo viro politico A. THIERS: "Il n'y
a plus que la vérité de redoutable: le faux est impuis-
sant: plus il s'exagère plus il s'use."¹ Aliis temporibus
ipse auctor et, quod majoris est momenti, historia ipsa
haec verba improbavit.

Hoc in capite praecipuas illas restrictiones tractare et

¹ *Histoire de la Révolution Française*, VIII, 171.

earum utilitatem dijudicare conabimur. Si revera necessarium est ut illae in legibus recipientur, unicuique patet huic necessitati nonnisi raro indulgendum esse. Quo longius enim sine damno extendere possumus libertatem, eo latius salutarem effectum exercere poterit, eo major erit publica securitas. Jus libere disputandi praevenit turbas publicas ¹. Praeterea si hae restrictiones libertatis publicae securitatis causa instituae sunt, ante omnia etiam necessarium erit, ut revera huic securitati faveant. Si enim patet omnibus illis restrictionibus legislatorem finem propositum non assequi; si damnum quod leges se praevenire credebant tamen alio modo impune committi potest, certe, illae leges sunt odiosae et inutiles. Quam ob rem censura nobis improbanda videtur? Certe, non solum ideo, quia est medium praeventivum, sed in primis etiam quia finem propositum non attingit et attin gere non potest. Si censuram eo modo corrigeremus, ut tamquam tribunal integrum et scientia excellens, non pro arbitrio, omnia delicta praeveniret, omnia ea retineret quae aperte damnum publicum efficiunt, cum satis offerret cautiones, ne, vano timore ductum, ullam sententiam utilem vel innocentem, ullam veritatem necessariam vetaret vel retineret, nemo nostrum postularet libertatem cuius commodis frueremur, sine omnibus illis incommodis quae ex ea necessarie proflunnt. Sed quia hoc exis-

¹ Confer. EMILE DE GIRARDIN, opusc. cit., pag. 160 seqq.

tere nequit, quia fieri non potest ut censura totum tollat damnum et simul omnia libertatis commoda retineat, hanc ob rem nobis odiosa est.

Idem valet de restrictionibus juris disputandi. Si finem propositum non attingunt, si damnum praevenire non possunt, sine ullo dubio eorum abolitionem rogare nobis licet. Lex cujus praecepta eludenda sunt, est lex periculosa. Defensores juris loquendi atque scribendi sine ullis limitibus hanc veritatem tanquam princeps et fere unicum attulerint argumentum. Agnoscent ope typographiac damnum effici posse, sed negant restrictionibus libertatis hoc damnum praeveniendum esse. Secundum eorum sententiam leges non possunt justos statuere limites inter libertatem et licentiam¹.

§ 2. *De illis rebus quarum disputatio nonnullis
regionibus non est licita.*

Restrictiones juris libere disputandi spectant vel quasdam res vel quasdam personas. Quum de restrictionibus ultimi generis infra loquemur, hoc paragrapho nobis videndum est de iis quae ad nonnullas res referuntur. Nulla in regione tantae exstant restrictiones hujus generis quam in Francia. Quia populi indoles, libertati minus apta, semper causa fuit abusuum hujus juris libere opi-

¹ Confer. EMILE DE GIRARDIN opusc. cit. pag. 72 sqq.

niones edicendi, fere quodam anno alia indicabantur vitia in legislatione illa speciali. Nova delicta, quae impunia manebant, quia leges non sufficiebant, novas etiam postulabant poenas et tutiora propugnacula ad defendendam securitatem publicam contra aggressiones malevolentiae. Inde ingens ille numerus legum, quae ad se invicem corrigendas inserviebant, sed inde etiam nusquam stabile quoddam systema, nusquam justa quaedam descriptio iurium, quibus ope typographiae fruimur. Leges hujus generis fere omnes extraordinariis fatis, temporibus turbarum et commotionum originem debent, cumque illa fata praeteribant, manebant leges et conjungebantur cum aliis, quae saepe nullo modo cum iis cohaerebant.

Lex anni 1819 honorificam constituit exceptionem indubitabilis hujus veritatis. Animus liberalis et non, ut anno 1835 vel 1849, timor — periculosus ille dux — legislatori suadebat ad eam componendam et jura loquendi vel scribendi atque securitatis publicae conjungenda. Sane etiam in illa lege quaedam paecepta vituperanda restant, quia magis politica commoda quam ipsa delicta spectant, sed tamen longe preferenda est legibus antecedentibus et sequentibus. Saepe mutata sed nunquam correcta est lex anni 1819. Omnia illa remedia artificiosa, postea adhibita, infructuosa manserunt et experientia improbata sunt¹.

¹ Confer. EMILE DE GIRARDIN, Opusc. cit. pag. 193 sqq.

Ad recte statuendum de finibus juris disputandi praecelta illa experientiae nunquam negligenda sunt. Quando rogamus, an securitati publicae non sint contrariae disputationes hodiernae de forma imperii et de omnibus his quaestionibus fundamentalibus, quae nisi magno cum periculo numquam tractari possunt, certe unusquisque huic interrogationi affirmando respondebit. Quum, vigente forma regni constitutionalis, magna commoda Reipublicae laudentur et illae opiniones defendantur argumentis, *quorum vitia oculis multitudinis non sunt perspicua, certe regnum omnibus suis viribus indigebit ad resistendum innumeris illis aggressionibus. Et tamen, quamvis haec pericula agnoscamus, improbandum nobis videtur ut talis disputatio interdicatur. Hae enim interdictiones a jure communi derogant et simul finem propositum attingere non possunt.

Historia hujus saeculi jam tot attulit exempla quae veritatem illius sententiae indicant, ut fere omnia alia argumenta supervacua fiant. Sufficiet etiam hoc loco ut ad Franciam recurramus et effectum observemus quem habuerunt tales interdictiones libere opiniones enuntiandi de forma imperii vigente.

An severa lex anni 1835 impedire potuit, quominus nonnulla diaria, sicut *le National* et *la Réforme*, aperte Rempublicam praedicarent, et hodie, illa Reipublicae forma vigente, an lex non minus gravis anni praecedentis unquam fuit vel hodie est impedimentum praecipuis dia-

rūis, sicut *le Journal des Débats* atque *la Gazette de France*, quominus verbis non magis ambiguis vota faciant ad restituendum regnum LUDOVICI PHILIPPI vel HENRICI V? An aggressiones illae ambiguæ olim regno constitutionali non nocuerunt vel hodie adhuc imperio reipublicae non minantur atque instabile id reddunt? Experientia illis interrogationibus respondet.

Ne dicamus: majus adhuc esset periculum et latius damnum, si illa diaria, loco hujus verborum ambiguitatis, publice et perspicue sua systemata populo proclamarent. Nemo nescire potest animum illum acutissimum populi, istam malitiam lectoris cuiuscunque generis, in interpretanda sententia occulta scriptoris, cuius systemata ei nota sunt. Velamen quo verba tecta sunt omnibus est manifestum, sed nimis densum oculis judicum. Scriptores, libere sese moventes hocce velamine tecti, sermonem emittunt, omnibus, praeter judices, perspicuum, idque tali cum audacia et vehementia, quali uti nunquam auderent, si aperte et lucide cogitata sua edicere possent.

Et praeterea, tunc etiam quum aliquis legislator constituisse tam egregiam, quae omnes has ambiguitates praevenire posset, hanc ob rem tamen interdictiones fini proposito non satisfacerent, quia praevenire non possunt ut cogitata prohibita ex scriptis externis patent. Nostris diebus, in quibus per humanitatis progressus propugnacula cadunt quae olim populos separa-

bant et magna differentia linguarum paulisper evanescit, quomodo moenia satis alta construi possent, quae sententias exterorum finibus eorum includerent et pervulgationem impedirent? ¹

Et quae nunc erit consequentia earum interdictionum? Non solum nobis videntur imutiles sed etiam periculosae. Quum interdicatur disputatio de quadam materia, securitatis causa, quia stabilitas regni vigantis silentium postulat, non credimus illud silentium revera gubernatoriis prodesse et iram reprimere hujus partis populi cuius causa praesertim restrictiones valent. Contra, ex tali interdictione jam statim populus deducet, causam, cuius disquisitio non est licita, bonam justamque esse non posse. Scriptores malevoli, in sermone suo speciali, de quo

¹ Numquam etiam obliviscamur legum restrictiones vim demum habere in scripta quae post earum sanctionem consciuntur. Et tamen longe abest, ut non etiam scripta, ante hoc tempus publicata, atque igitur non in legis praescriptis comprehensa, illud damnum efficerent quod legislator praevenire credebat. Egregie hac de re animadvertebat ROYER-COLLARD, in coetu delegatorum anni 1819: »A l'avenir, il ne s'imprimera pas une ligne en France, je le veux; une frontière d'airain nous préservera de la contagion étrangère. A la bonne heure. Mais il y a longtemps que la discussion est ouverte dans le monde entre le bien et le mal, entre le vrai et le faux. Elle remplit d'innombrables volumes lus et relus, la nuit et le jour, par une génération curieuse. Des bibliothèques, les livres ont passé dans les esprits; c'est de là qu'il faut les chasser. Avez vous pour cela un projet de loi?»

supra locuti sumus, dicent: "Si illa forma imperii revera esset optima populo; si ejus commodis conveniret, quam ob rem gubernatores veritatem retinerent, quam ob rem tanto ardore omnem disputationem interdicerent? Ipsa interdictio testimonium affert injustitiae causae quae tanta cura defenditur. Arx solida aggressionem non timet." Populus, qui non perspicue verum a falso distinguere potest et praeterea libenter actiones gubernatorum improbat, credet his scriptoribus et rejicit illam doctrinam necessitatis et securitatis publicae. Si hoc valet de disputatione circa formam imperii, magis adhuc valebit de disputatione circa jus dominii, aliasque res, quae etiam in Francia interdicta videtur, saltem secundum interpretationem tempore confectionis a regis ministris et postea a judicibus datam¹. Nam dum omnia incommoda de quibus locuti sumus, iis etiam propria sunt, restrictiones illae praeterea mihi videntur injustae. Quam ob rem jus dominii legislatori magis sacrum esset quam tanta alia jura naturalia, sicut ea quae ex familia oriuntur? Quam ob rem disputationem de altera re interdiceret, de altera concederet? Nemo inconsequentiā talis praecepti negabit. Ex illa interdictione in primis videre possumus, quam

¹ Videatur Art. 8 legis diei 9 mensis Septembris 1835: »Toute attaque contre la propriété, le serment, le respect dû aux lois; toute apologie de faits qualifiés crimes et délits par la loi pénale; toute provocation à la haine contre les diverses classes de la société, sera punie,» etc.

vim res temporales habuerint in mentem legislatoris. Vana cura! Nullum jus in Francia tam contemnum est, quam ipsum illud jus quod lex defendere conata est.

Etiam dignitati typographiae tales restrictiones juris disputandi contrariae sunt. Magna parte iis debetur ut mendacium et simulatio locum occupent quem veritas occupare deberet; ut boni quodque consilium, typographiae ope enuntiatum, in primis quantum spectat diaria, suspectum habeant et etiam integerrimas sententias tanquam periculosas improbent, quia veritati scripti fidem habere non possunt. Et tamen dignitas illa typographiae magis gubernatoribus prodessel, quam omnia ista remedia artificiosa, experientia condemnata. Convenire certe non potest illi dignitati, ut scriptores aliis verbis dicant, quod aliis iis dicere non liceret, ut post unamquamque novam restrictionem, nova etiam inveniant media eludendi verba legis; ut puniantur, non quia contra praescripta legislatoris peccaverunt, sed quia ea eludere non potuerunt et in suis scriptis non tam callidi fuerunt quam alii⁴.

⁴ Egregie hac de re animadvertisit EMILE DE GIRARDIN, Opusc. cit., pag. 224: »A Sparte, la loi ne punissait pas le vol, mais elle punissait le voleur qui se laissait prendre. La loi que vous faites (nimurum lex anni 1849), n'est qu'une contrefaçon de la loi de Sparte. Ce ne sera pas une loi contre l'audace des écrivains, ce sera une loi contre leur maladresse. Ce sera une loi qui aura pour

Aperiamus igitur etiam sanctissima jura investigationibus typographiae, ut ipsa sancta fiat. Si aperte et sine ambiguitate de iis disputare licitum erit, defensoribus horum jurium occasionem praebebimus, etiam aperte refutandi aggressorum argumenta, quod indirectis aggressionibus fieri non posset. Hic etiam experientia nobis viam indicat. Quando et quomodo doctrina illa famosa Socialismi tantos collegit sectatores et exercuit auctoritatem istam periculosam, quae per quoddam tempus societati minata est? Regnante LUDOVICO PHILIPPO et vigente lege anni 1835, quae disputationem circa jus dominii gravi sanctioni poenali subjiciebat, sed quae praevenire non poterat, ut libri, quales *les Mystères de Paris*, innumerabilibus exemplaribus per Franciam et fere totum orbem terrarum dispergerentur et exercearent auctoritatem magis perniciosa quam ulla aggressio directa unquam exercere posset. Postea, quum simul cum regno lex ad ejus defensionem instituta evanisset, quum doctrina Socialismi aperte suos defensores et diaria ostenderet, quum cathedrae hujus doctrinae docendae gratia fundarentur, statim etiam maximam amisit auctoritatem. Simul cum defensoribus Socialismi apparebat etiam agmen illustre oppugnatorum. Sententiae enuntiatae et systemata quae docebantur, accurate investigabantur et

effet de les exercer à dire impunément, sous telle forme ce qu'ils ne pourraient dire sous telle autre sans condamnation."

post tres vel quatuor menses, doctrina cum praecipuis suis defensoribus evanescebat, onerata irrisione sapientiorum et execratione deceptorum. Certe hodie adhuc Socialismus in Francia viget, sed tamen maxima pars eorum qui dicuntur defensores hujus systematis longe remota est ab illa doctrina insana quae ante duos annos valebat. Scriptor politicus illustris A. THIERS opere *de la Propriété* societati magis profuit quam omnibus illis restrictionibus juris disputandi, quas tanta vi et eloquentia annis 1835 et 1849 defendebat.

Necesse tamen erit ut accurate statuamus quid sit jus disputandi. Si hoc jus ad omnes res extendendum nobis videtur, etiam ad illas de quibus disputatio periculosa videri posset, non tamen rogamus impunitatem illis scriptis, quae, quietum disputandi modum negligentia, non tendunt ad veritatem demonstrandam, sed ad eventendam formam imperii vigentem aut ad perpetranda alia delicta. Illae disputationes solum licitae esse possunt quae non constituunt delictum. Hic est finis juris disputandi, finis naturalis, qui nullum factum excludit quod excludi non deberet et tantum ea avertit quae lege criminali sanctioni poenali subjiciuntur. Quamquam lex Francica anni 1835 his utitur verbis: “attaques contre la forme du gouvernement établi”¹ et “attaques contre la propriété”², sicut disputatio quieta exclusa non vi-

¹ Vid. Art. 5.

² Vid. Art. 8.

deretur, non tamen talis erat sententia legislatorum. Contraria enim opinio aperte patet ex iis quae tempore confectionis hujus legis, inter gubernatores et populi delegatos tractata sunt: "Nous avons dit — ita inquit minister justitiae — que nous ne cherchions pas seulement à punir les écarts de cette discussion; mais que notre intention, que le but que nous nous proposions était d'interdire de la manière la plus absolue, *la discussion elle-même* de la personne du roi, de son autorité et de la forme de son gouvernement" ¹.

Restrictiones juris disputandi, de quibus hucusque egimus, in patria nostra sunt incognitae. An videlicet in Francia specialis populi indoles latae loquendi atque scribendi libertati contraria sit, est quaestio a nobis hoc loco non investiganda. Quod attinet ad patriam nostram, constat, et experientia ipsa docet, gubernatores talibus legibus non indigere. Sufficit nobis sapiens hoc legis praescriptum: "Onverminderd de bepalingen van Art. 60 van het Wetboek op het Strafregt, en in al de gevallen bij dat Wetboek niet uitdrukkelijk voorzien, zal als *medepligtige* van een begane misdaad of misdrijf worden beschouwd degene, die, hetzij door aanspraken in het openbaar ten aanhoore van eene verzameling van personen gehouden, hetzij door plakschriften, hetzij door

¹ Opinio illa emissa fuit in coetu Cariae Parum (*Chambre des Pairs*) 1 Sept. anni 1835. Conf. CHASSAN, Op. laud. I, 254.

gedrukte of ongedrukte en verkochte of verspreide geschriften, de burgers en ingezetenzen zal hebben opgeruid, om eene misdaad of een misdrijf te begaan. Dezelfde bepaling is mede toepasselijk in geval, ten gevolge der opruijng, slechts eene poging van misdaad of van misdrijf, overeenkomstig Art. 2 en 3 van het Wetboek op het Strafrecht, heeft plaats gehad. Indien de opruijng geen gevolg hoegenaamd heeft gehad, zal dezelve worden gestraft met eene geldboete van $f\ 50$ tot $f\ 100$, of, in geval van verzwarende omstandigheden, met eene gevangenis, welke den tijd van zes maanden niet zal kunnen te boven gaan ^{1.}"

Egregiam hoc praeceptum continet descriptionem naturae delicti, ope typographiae commissi et simul indicat justum finem juris disputandi. Typographiam considerat legislator tanquam medium, natura sua nemini nocens, sed quod secundum animum ejus, qui hoc medio utitur, vel ad bonum vel ad malum finem adhiberi potest. Delicta quae ope typographiae committuntur non constituant genus speciale. Specialibus omnibus illis legibus facile carere possumus. Sic typographia simul maxima fruetur libertate et nullum delictum impune committetur.

Antequam hanc materiam relinquimus, dicamus denique, in vita quam populi agunt, nonnunquam tempo-

¹ Videatur lex dici 16 mensis Maji anni 1829, Art. 1.

rum spatia advenire, quae tam turbata et periculosa sunt, ut suprema necessitas silentium omnium postulet et etiam enuntiatio veritatis tolerari non possit. Praesertim etiam typographia duris sed necessariis hisce praescriptis adstringi debet, et nemo improbare potest, quod, talibus momentis, diaria vel alia scripta prohibeantur, non quia delicta continent, sed quia eorum opiniones, justae videlicet, civitati, qualis jam exstat, nocent, dum haec necessariis viribus caret ut illis agressionibus resistat. Sed, ut facile intelligitur, haec remedia, quibus juri communi derogatur, nonnisi raro adhibenda sunt, et etiam, quod ad loquendi atque scribendi jura attinet, per magni interest, ut hi casus recte lege constituantur. Nam sine justis illis praescriptis libertas, qua ope typographiae fruimur, vox vana fieret, quia penderet ab arbitrio gubernatorum talem statum extraordinarium creare et infinite proferre. Si lex existeret, quae conditiones status bellici (*staat van beleg*) praescriberet, viri, qui hodie rebus publicis in Austria praesunt, non per duos annos omnem libertatem scribendi reprimere possent.

§ 3. *De restrictione juris disputandi quantum spectat nonnullas personas.*

Sicut supra vidimus, restrictiones juris disputandi vel res vel personas spectant. Restat ut videamus de iis

quae ad alterum genus pertinent. Secundum leges quas-dam vigentes, nonnulli homines quibusdam utuntur privilegiis, quae dijunctionem eorum factorum interdicunt, sensu generali vel speciali, i. e. omnium eorum factorum vel solum quorundam.

Primum in sensum venit persona regis. Forma imperii constitutionalis, quae etiam apud nos viget, tribuit regi jura specialia, quae constituunt fundamentum hujus systematis imperii et sine quibus existere nequit. “Le roi — ait CHATEAUBRIAND — dans la monarchie représentative, est une divinité que rien ne peut atteindre: inviolable et sacrée, elle est encore infaillible, car s'il y a erreur, cette erreur est du ministre et non du roi^{1.}” Vera illa doctrina, in multis regionibus recepta, ubi talis imperii forma viget, sancita est paucis his verbis in lege nostra fundamentali: “De Koning is onschendbaar; de Ministers zijn verantwoordelijk^{2.}”

Quemnam effectum haec doctrina in determinandis juris disputationis limitibus sortiri debet? Responsum, ut nobis videtur, hic differre debet a responso, in paragraphe praecedente dato, ubi de rerum disquisitione vidimus. Magna enim exstat differentia. Quum disputare vellemus de forma imperii vigente, talis disputatio — scilicet sine malo proposito et in eo sensu quo hoc ver-

¹ *La monarchie selon la Charte*, Cap. IV.

² Videatur Art. 53.

bo hucusque usi sumus — nonnisi theoretica esse potest. Regno constitutionali vigente, indicari possunt vitia hujus institutionis et rationes cur, e. g. forma imperii Republicae nobis optabilior videatur. Sed ibi etiam est finis disputationis; qui suadet populo ut formam imperii vigentem mutet, committit delictum, lege criminali poenae adstrictum. Distinctio illa, quamquam nonnunquam satis subtilis, non minus existit et in vita practica saepe applicationem obtainere potest. Utilitate etiam non caret, nam erronea esset sententia, quasi quaedam disputatio de formae imperii praestantia ad ejus eversionem tenderet, scilicet ad hanc eversionem quam lex criminalis vetat. Certe et doctrinae politicae et ipsa societas civilis, de qua in iis agitur, nostris diebus nondum ad ultimum gradum perfectionis pervenerunt, sicut omnia conamina ad eas lente et tranquille corrigendas et perficiendas — etiam mutatione formae imperii vigentis, si id necessarium esset — non solum non pertinent ad conatus violentiae eversionis, lege criminali praevisos, sed saepe etiam valde sunt utilia ¹.

¹ Vir Cons. CHASSAN, in op. laud., I, 253, dicit, secundum suam opinionem, etiam per legem mensis Septembbris 1835, theoreticam dijudicationem utilitatis formae imperii vigentis vetitam non esse. Quamquam talis sententia ex ipsis legis verbis, quae interdicunt tantum »les attaques contre le gouvernement établi“ facile probari posset, ex citatis verbis ministri justitiae (pag. 55) perspicue tamen patet, legislatores etiam hanc voluisse interdicere

Aliter tamen res sese habet quando agitur de dijedicatione regis factorum. Talis disputatio solam theoriam spectare non potest, quia directe tendit ad improbandum vel ad dijudicandum factum quoddam existens. Disputatio sine ullo fine existere nequit. Dijudicatio cuiusdam facti igitur per se continet declarationem, ut ille qui dijudicatur vel improbatur de factis suis respondeat, ut mereatur laudem vel improbationem. Sed rex est inviolabilis, i. e. nemini respondere debet de factis suis. Secundum doctrinam constitutionalem malum factum committere non potest; omnia ad ministros redeunt. Qui igitur ita disputaret, ageret contra legem publicam et anteponeret sententiam suam legi, jure et legitime constitutae.

Quamquam autem ipsum sistema imperii constitutionalis ad hanc conclusionem dicit, nobis tamen ex juris principiis neque necessarium neque utile videtur, ut strictis illis consequentiis omni modo satisfaciatur. Dijudicatio quieta et decens cuiusdam facti a rege commissi,

dijudicationem. Praeterea, alii viri, illo tempore etiam ministri regis, eandem enuntiaverunt sententiam. THIERS atque DE BROGLIE non *reprimere* sed *supprimere* volebant illas aggressiones et *omnem* interdicere disputationem hujus generis. Absoluta illa verba, ni fallimur, nullam patiuntur exceptionem. Revera in Francia post legem 1835 non omnes disputationes hujus generis puniebantur, sed hoc nihil demonstrat, nisi id quod jam saepe de parvo pretio talis legis praescripti in medium attulimus.

contraria fortasse est notioni inviolabilis personae, sed tamen delictum constituere non posset. Hanc solam ob causam memoravimus illa imperii constitutionalis requisita, ut recte constaret, talia argumenta semper maxima cum prudentia tractanda esse, et illud jus dijudicandi regis facta non tam extensum esse quam dijudicatio facti, ab alio homine commissi.

Praeterea necessarium est, ut recte statuatur quid sit factum a rege commissum. Ille qui regem, ex. gr., in forma imperii constitutionali inutilem censem, qui demonstrare vellet necessitatem ut reges etiam de factis suis respondeant, vel qui successionem hereditariam improbat, ille certe regem non attingit, sed solum partem formae imperii dijudicat, quod illicitum nobis non videatur. Tali modo scriptor tantum de jure constituendo agit, et opiniones, quas praefert, ad necessarias correctiones legis publicae ducere possunt.

Nota est quaestio, an illa oratio, quam rex quoque anno in coetu populi delegatorum habet, constitutum a rege ipso commissum. In lite quae ante quosdam annos inter civitatem et diarium Arnhemiense acta fuit, quaestio illa praesertim tractata est¹. Diversae Jurisconsultorum et virorum politicorum hac in re erant sententiae, non tam quia utilitatem hujus disquisitionis ne-

¹ Vid. *Weekblad van het Rgt*, Nrs. 656, 666, 668, 683, 703, 707, 715, 753, 755, 780, 785 et 796.

gabant nonnulli, sed quia talis dijunctio contraria iis videbatur systemati imperii hoc tempore vigenti. Hodie autem, vigente lege publica anni 1848, de hac re non longius lis agi potest. Tam illa oratio quam eae omnes quae ex officio a rege pronuntiantur, summo jure publicae censurae subjectae sunt.

Denique nobis animadvertisendum est, non omnia facta a rege, munere suo fungente, committi, et igitur etiam illud privilegium, ut sit inviolabilis, non omni casu applicari debere. Regi etiam existit vita publica et vita privata, quamquam non eodem modo atque aliis hominibus, qui muneribus publicis funguntur. Fictiones et privilegia juris publici solam illam spectare possunt, cum de iis omnibus quae ad alteram pertinent, generales valent regulae. Nunquam tamen obliviscamur, universe munus regis esse perpetuum atque continuum; unde naturalis profluit illa consequentia, ut is, cui licet hoc vel illud a rege, tamquam a viro privato, postulare, tamen jus non habeat publice, ope typographiae, privilegia regia contempnere et regem tanquam virum privatum habere, quia oculis omnium ceterorum privatus ille vir non existit¹.

¹ „C'est une maxime de notre droit public — ait CHASSAN — que le Roi n'agit jamais qu'en qualité de Roi, comme personne publique et non comme personne privée.” Addit tamen: „Elle est aujourd’hui modifiée, quant aux acquisitions seulement, puisque

Secundo loco et statim post regem veniunt coetus delegatorum populi, quibus legum constituendarum munus mandatum est. Hi delegati, qui efficiunt significationem voluntatis omnium et praediti sunt summa potentia, in sensu collectivo, exercent auctoritatem sanctam omnino. Privilegia quibus utuntur tamen longe differunt a privilegiis regi attributis. Quia fictione illa inviolabilitatis carent, dijunctio factorum ab iis gestorum illicita esse non potest. Cum sint mandatarii tam omnium quam uniuscujusque summo jure mandantes haec facta investigant et dijunctant. Licet iis sententias suas significare de modo, qui optimus iis videatur, quo in posterum haec vel illa res peragi possit⁴.

Sed aliter res sese habet, quando agimus de illa disputatione quae tenderet ad contumctionem juris, quo secundum legem publicam vigentem fruuntur. Sicut mandans satisfacere debet contractibus a mandatario rite initis, sic etiam obedire debet unusquisque jussis et decretis delegatorum, et recusatio hujus obedientiae per scripta publica nunquam impunis manere posset. Hic etiam necessarium est, ut recte distinguitur directa vel indi-

la loi reconnaît au roi un domaine privé." Vid. op. laud., I, 55.
Apud nos etiam illa regula nonnullis coarctatur limitibus.

⁴ "Contester la justice et même la convenance d'une loi est une chose très permise." Sententia a ministro justitiae DE SERRE, in coetu delegatorum anni 1819 emissa. Conf. CRATTIER, op. laud., I, 141.

recta aggressio ab ipsa disputatione theoretica, quae, tunc etiam quum agatur de lege promulgata, licita et saepe utilis est. Opiniones maxima fruuntur libertate et facta sola constituere possunt delicta.

Quod de legislatoria potestate diximus, valet etiam de potestate judicaria et de omnibus iis corporibus et magistratibus quae rite ac legitime instituta sunt. Actiones horum omnium improbare vel dijudicare nobis licet, sed sancta est et semper esse debet eorum auctoritas. Apud omnes iidem adsunt fines quae disputationem ab aggressione (*discussion — attentat*) separant.

§ 4. *De regis ministris.*

Quamquam respectu regis ministrorum aliud sistema valere non possit quam omnium hominum qui muneribus publicis funguntur, speciales tamen quedam animadversiones necessariae sunt, ut recte de illa similitudine constet. Fere omnibus temporibus non pauci perhibuerunt ministros regis in conditione quadam speciali versari. Nonnulli, repudiantes vera principia systematici constitutionalis, distinxerunt ministros a ceteris hominibus qui muneribus publicis funguntur et specialia privilegia iis attribuerunt. Alii contra, obliuiscentes ministros in exercitio munierum suorum, ea jura non abdicare, quibus, sicut omnes homines privati, fruuntur,

crediderunt libertatem eos infamandi atque injuriandi necessariam esse sequelam formae imperii constitutionalis.

Primum systema non minus est erroneum quam alterum. Omnis exceptio falsa esse debet. Lex Francica anni 1822⁴, extendens tutelam suam magna cura in formam imperii, hoc tempore vigentem, graves minatur poenas contra aggressiones quae tendunt ad suscitandum odium et contemtum contra regis imperium (*excitation à la haine et au mépris du gouvernement*).⁵ Ne tamen significatio lata et paululum vaga hujus vocis "gouvernement" ad errores duceret², in paragrapho secundo ejusdem articuli qui de illo delicto agit, expresse addiderunt legislatores praescriptum, ut talis interdictio nullo modo noceret justae ac legitimae censurae factorum ministeriorum³. Pertinet ad naturam systematis constitutionalis, eos viros, qui non solum de suis factis sed etiam de factis regis respondere debent, censurae publicae subjectos esse. Quum sacerrima jura et bona populi curent, accurata disquisitio modi, quo officiis suis funguntur,

⁴ Videatur Art. 4.

² Illa vox »gouvernement du Roi» in sensu collectivo accipienda est. Certe etiam regis ministri partem efficiunt hujus collectionis, sed separati a ceteris partibus, non constituunt hanc potestatem, quae, tam in Francia quam apud nos, vocatur »gouvernement.»

⁵ »La présente disposition ne peut pas porter atteinte au droit de discussion et de censure des actes des ministres.»

necessaria est et utilis¹. Si, sicut reges, inviolabilitatem invocare possent, sistema constitutionale omni pretio careret et vanae essent omnes cautiones, quae civibus attribuuntur.

Sed contra etiam illa jura, quibus omnes homines fruuntur, jus ne impune aliquis nobis honorem et publicam aestimationem eripiat, ea interdicere nunquam nobis liceret illis hominibus, qui munere ministrorum funguntur. An his viris, quorum difficile munus jam tanta postulat sacrificia et qui plerumque saluti publicae nonnisi detimento privatae salutis favere possunt, eriperemus etiam sola ea bona, quae post quosdam annos difficilis et tristis laboris iis restant, bona ea inaestimabilia, ut omnes homines, cujuscunque opinionis, fidem et probitatem agnoscant, quibus munere suo functi sunt? An his viris, scientia et probitate illustribus, sortem praebere possumus, pejorem sane quam sortem qua olim in India "Paria" fruebatur? Delictum injuriae oritur "ex affectu facientis²," ex malo consilio. Hujus consilii causa punitur delinquens, et quod malum est uni

¹ »Quand un ministère est mauvais — ait ODILON BARROT — provoquer à la haine et au mépris de ce ministère, ce n'est pas seulement un droit, mais un devoir; et plus ce ministère est mauvais, plus ce devoir est impérieux." Opinio emissa in coetu delegatorum diei 26 mensis Augusti, anni 1835. Conf. CHASSAN, oper. laud., I, 265.

² Dig. XLVII, tit. X, fr. 3, § 1, *de inj. et fam. lib.*

alteri bonum justumque esse nequit. Illi igitur, qui impunitatem postulant omnium injuriarum, quibus ministri affici possunt, non solum sistema constitutionale sed etiam primarium requisitum delicti injuriae non agnoscunt¹.

Repetamus hic tamen admonitum, quod jam dedit WEBER in opere suo, saepe laudato, nimis ut recte distinguatur injuria a falsa dijuncture cujusdam personae vel facti². Saepe scriptores, nulla scientia praediti, nescii eorum quae duxerunt ministros vel consilii quod sibi proponunt, injuste dijudicant et impro-

* Falsissima fuit hanc ob rem illa sententia, enuntiata a regis ministro A. THIERS, in coetu delegatorum anni 1835: »Ce que nous demandons, est-ce la liberté de discuter les actes ministériels sans mesure? Oui. La liberté de nous calomnier? Oui encore. La liberté de nous imputer des faits vrais ou faux et plus souvent faux que vrais? Oui encore. La liberté d'exciter contre nos personnes la haine, le mépris, tous les sentiments injustes? Oui encore. Cette liberté nous l'acceptons franchement et sans réserve, comme condition du gouvernement représentatif." Etiam EDILLON BARROT, quamquam factionis oppositae dux, improbavit hanc opinionem nimis liberalem, hisce verbis: »J'approuve hautement la déclaration faite par M. le ministre de l'intérieur à ce sujet; non que j'aile jusqu'où il a été; non que je réconnaisse le droit de diffamation, de calomnie, même contre les ministres. C'est toujours un délit très grand; et je ne dis pas qu'un ministre ne doive jamais demander à la justice du pays réparation d'un délit pareil."

¹ Confer. WEBER, oper. laud., II, 212.

bant hoc vel illud factum, meliori sorte dignum. Tristis et injucunda talis disputatio ministris esse potest, sed nunquam delictum constituere posset. Necessaria ea est sequela muneris quo funguntur ministri. Principem locum in civitate occupantes, omnibus ceteris excellentes, magis quam ali expositi sunt innumeris aggressionibus et facilius attenduntur omnibus illis sagittis, stultitia, invidia vel iracundia ejectis. Sicut recte animadvertis CHATEAUBRIAND, vulgaribus injustisque his sententiis ministri superiores esse debent et postulare non possunt, ut praeferamus necessariae et utili dijudicationi eorum, quae fecerunt, injustas et tristes consequentias quae inde privatis eorum commodis saepe profluunt¹. Ne obliviscantur etiam ministri dijudicationem eorum quae fecerunt hanc ob rem saepe acriorem et vehementiorem esse quam oporteret, quia plerumque illa facta improbata privata scriptoris commoda spectant. Qui propria sua commoda violata credit et scriptis suis prospicere cupit, ne ipse detrimentum patiatur, non raro injustas emitit sententias, ira inspiratas. Specialis conditio scriptoris semper attendenda est, quia ab illa conditione pendet, an revera delictum commissum sit. Qui ira ductus scripsit nondum scripsit malo proposito et igitur nondum injuriam intulit. Praeterea dijudicatio indecora nondum est injuriosa. Universe igitur regis ministris, sicut omnibus aliis ho-

¹ *La Monarchie selon la Charte*, Cap. XXI.

minibus, licet ipsorum calumniatores persequi et petere, ut judices iis poenam infligant quam merentur. Sed quando de injuria agitur, antea firmiter convicti esse debent de malo consilio scriptoris. Periculoso enim est, ut in tali lite accusatus absolvatur et error gubernatorum a judice pronuncietur. Auctoritas, quam defendere se credebant, turbatur hoc modo non solum judicio dato, sed etiam magna publicitate causae tractatae. Injuria, ante litis contestationem saepe maximae parti populi occulta, post judicium datum fere nemini est incognita.

§ 5. *De sententia eorum qui censem libertatem opiniones profitendi nullis finibus coarctandam esse.*

Vera et justa significatio verborum “libertas infinita” non minus est incerta et indefinita quam ipsa vox. Sicut jam in initio hujus speciminis dicebamus¹, singuli scriptores qui hoc jus defendunt fere omnes vocem “libertas” diverso modo interpretati sunt, nam, non solum apud plebem, etiam apud scriptores egregios erroneas illas libertatis notiones animadvertisimus. Hanc ob rem non pauci, qui defensores se vocant libertatis sine ullis limitibus, revera typographiae nulla alia jura attribuere volunt quam alii scriptores, qui etiam pro libertate lo-

¹ Vid., pag. 2.

quendi et scribendi, necessarios quosdam limites rogant. Subjectum litis plerumque sola in voce constat. De re ipsa fere omnes inter se conveniunt. In fine hujus capitatis quedam verba nobis dicenda restant, ut illas sententias de libertate typographiae sine ullis restrictionibus vel limitibus inquiramus atque statuamus, quomodo convenire possint cum iis quae supra de ejus juribus memoravimus.

Non credimus hodie existere scriptores vel oratores politicos qui per verba “infinita libertas,” intelligunt jus omnia dicendi, tam verum quam falsum, injurias et calumnias. Si existerent, eorum sententiam oppugnare inutile esset, post ea quae animadvertisimus in paragaphis praecedentibus. Revera celeberrimus scriptor Francicus A. THIERS in historico opere de rerum conversione in Francia, hanc emisit sententiam. “La presse peut être *illimitée sans danger*. Il n'y a que la vérité de redoutable: le faux est impuissant; plus il s'exagère, plus il s'use”¹. Sed illa sententia non tanquam certa et stabilis valere potest in ore viri, doctrinae copia egregii, qui, experientia rerum politicarum ductus, ante omnes alios intellexit, talem opinionem erroneam esse. Verba citata nunquam intimam convictionem exprimere possunt illius viri, qui legem de typographia anni 1835 proponebat et legem non minus severam anni 1849 tanto ardore de-

¹ THIERS, *Histoire de la Révolution Française*, VIII, pag. 171.

fendebat; qui prima illa opportunitate etiam quietam disputationem vetabat¹, et anno praecedente, quum de ultima lege ageretur, hanc enuntiabat sententiam: “Il est certain, incontesté et incontestable, qu'il ne peut y avoir *aucune* liberté illimitée. Il n'y a pas, dis-je, de liberté illimitée; la société civilisée c'est la société de la liberté limitée”².

Geleber scriptor Francicus EMILE DE GIRARDIN edidit anno praecedente opusculum, inscriptum: “Le droit de tout dire,” in quo jura infinita typographiae defendere conatus est³. Constat hoc opusculum ex diversis argumentationibus, quas antea in diario suo “la Presse” publicaverat et quae, variis temporibus scriptae, non ubique inter se conjunguntur perpetuo illo vinculo, in disputatione hujus generis in primis necessario. Quamquam igitur sententia scriptoris hic et illic nimis est vaga et ambigua, videtur tamen jus scribendi sine ulla limitibus et jus omnia dicendi non intelligere in sensu illo absoluto, de quo supra locuti sumus. Distinguit inter “dicere” et “facere.” Emissio cuiusdam opinionis constituit “dictum,” sed ubi illa opinio leges vigentes impugnat, scriptor non solum “dicit” sed directe vel indirecte “agit.”

¹ Confer. CHASSAN, Op. laud. I, 245.

² Enunciata fuit illa sententia in coetu populi delegatorum, diei 24 mensis Julii anni 1849.

³ Videatur »Les 52,” Nis. X atque XI. Par. 1849.

ibi cessat "dictum" et oritur "factum," quod, sicut omnia facta, naturales suos habet fines ⁴.

Si talis revera est opinio scriptoris citati, si non nisi jus disputationis defendere voluit, ab ejus sententia non sumus alieni. Quando libertas typographiae definitur tanquam "jus *cogitata sua ope typographiae enuntiandi*," sine ullo dubio illam libertatem sine limitibus dicere possumus. Illa enim libertas hoc sensu nihil aliud est quam jus disputationi, et ea omnia quae tanquam illicita nobis improbanda videntur ad hanc libertatem non pertinent.

Omnia ea quae ex libertate profluunt, hanc ob rem non ad libertatem pertinent. In societate nostra libertas comprehendit ea omnia quae facere possumus sine laesione libertatis alterius, atque nihil magis vel nihil minus. Primum enim est requisitum justae definitionis ut semper vera sit, sine ulla exceptione. Quando nunc vox libertas longius spectaret quam definitio data, si etiam contineret jus laedendi libertatem alterius, illa definitio hanc ob rem non valeret, quia libertas laesi non tam longe spec-

⁴ Sic, e. g. ait, pag. 164, ubi de commodis juris disputationis agitur: »Tout ce qui s'évapore en pensées, en intentions, en doctrines, en discours ou en écrits, est dans son droit, mais tout ce qui se condense en un commencement d'exécution tombe aussitôt sous l'appréciation de la loi." Vel alio loco (pag. 168): »Nous admettons le droit de tout dire, le droit de tout écrire, sous le seul contrôle de l'opinion publique, mais nous n'admettons le droit de tout faire que dans les limites tracées par la loi."

tare posset quam laudentis libertas; quia igitur ea esset inaequalis singulis hominibus. Si CAJUS jus haberet TITIUM injuriandi, libertas, qua TITIUS fruitur, sine limitibus esse nequit, quia ei interdicitur jus securitatis et vindicatio laesionum honoris sui atque bonae existimationis. Igitur jus omnia dicendi et faciendi, sensu absoluto et sine exceptionibus, constituit libertatem, quae non solum non est sine limitibus sed majoribus impedimentis obstricta quam libertas quae sub legibus hodie vigentibus valet.

Igitur interdicendo calumniam, maledicentiam, injurias vel inobedientiam legibus, non restringimus libertatem typographiae, i. e. non excludimus partem, quae, si exclusa non esset, ad hanc libertatem pertineret, nam nullo modo talis licentia aliquid commune habere solet, cum liberte "cogitata sua enuntiandi ope typographiae."

Ex iis quae praecedunt patet igitur, verum esse quod in initio hujus paragaphi dicebamus, nimirum differentiam magis extare propter falsam significationem his verbis "libertas typographiae" datam, quam propter magnam diversitatem opinionum hac in re. Nullus homo integer, amicus patriae suae et ipsius juris libere opiniones suas profitendi, cum licentia confundere vellet vocem "libertas," et contra etiam, omnes homines in patria nostra hanc libertatem usque ad ultimos suos fines concedere possunt. Nos saltem sic putamus.

Si igitur contrahimus omnia quae in hoc capite de

juribus, quibus ope typographiae fruimur, in medium attulimus, hoc de limitibus hujus libertatis statuendum nobis videtur. Jus opiniones suas emitendi sanctum est et nullo modo interdicci potest, si non patet de malo animo scriptoris. Quieta disputatio omnino saepe sua habet incommoda, imo etiam pericula, sed tamen restrictiones quietae hujus disputationis, nonnullis factis criticis exceptis, improbandae nobis videntur, quia legislator hoc modo non solum finem suum attingere nequit, sed etiam praescriptum, rerum naturae contrarium, constituit et delictum vocat id, quod praecipuis delicti requisitis caret. Contra etiam, ubicunque disputatio degenerat et ad delicta perpetrandam tendit, oportet ut legislatores eam interdicant. Ubiunque nonnisi de sententiis atque doctrinis agitur, libertas absoluta; ubi facta spectantur, restrictiones *libertati aliorum* necessariae¹.

Nobis forte nuper, dissertatione nostra jam prorsus ad finem perducta, in manus incidit *commentatio quae-dam de libertate preli*, ratione habita progressuum in ar-

¹ Talis etiam erat sententia illustris illius libertatis defensoris, BENJAMIN CONSTANT: »Les écrits, comme la parole, comme les mouvements les plus simples, — ait — peuvent faire partie d'une action. Ils doivent être jugés comme partie de cette action, si elle est criminelle. Mais s'ils ne font partie d'aucune action, ils doivent, comme la parole, jouir d'une entière liberté." Opere laud. I, 126.

tibus et litteris¹, quae comprehendit permulta placita quae adeo congruunt cum iis, quae nos quoque de ipsis iis rebus censenda existimamus, ut ea hoc loco omnino communicanda putaverimus, quo melius de nostra sententia constet.

Primum observat scriptor (pag. 10), libertatem preli, licet eximium bonum, tamen cum progressibus artium et litterarum non indissolubili vinculo contineri, quum saepe artes et litterae eximie floruerint ubi tamen preli libertas nulla adfuissest. Quod saepenumero in hac Dissertatione nos observavimus, typographiam et preli libertatem tantum esse modos cogitata communicandi, qui aestimationem recipiunt ex morali natura eorum quae communicantur, hoc ipsum, loco citato, sic expressum legimus: "L'imprimerie n'est qu'un instrument matériel, destiné à favoriser la propagation des idées, quelles qu'elles soient. Elle ne crée pas, elle multiplie seulement les productions de l'esprit avec une beaucoup plus grande rapidité que ne le peuvent la plume des copistes. Sa mission est de leur assurer une publicité complète et de leur ouvrir une sphère plus vaste, une action plus étendue. Elle est pour les œuvres de l'intelligence ce que sont les routes, les chemins de fer, la navigation à va-

¹ JOËL CHERBULIEZ, *de la liberté de la presse, dans ses rapports avec le développement littéraire*, in *Bibl. Univ. de Genève*, Janv. 1850; initio.

peur pour les produits de l'industrie. En ce sens, on peut dire qu'elle féconde la pensée par l'échange et le contact qu'elle établit entre les hommes qui sans cela resteraient isolés, étrangers les uns aux autres. Mais là se borne sa tâche, et l'on se trompe lorsqu'on prétend lui attribuer une puissance créatrice, une action directe et positive sur les facultés intellectuelles.” Praeclaris certe viri artes et litteras eximie tractarunt etiam ante typographiae artem repertam.

Libertatem typographiae sive preli illimitatam concedi prorsus non posse, idem scriptor recte vidit: “Pour être durable et fécond, le progrès a besoin d'être organisé, régularisé; il faut modérer sa marche, l'enrayer en quelque sorte, si l'on veut qu'il produise des œuvres qui marquent et qui restent. La liberté sans ordre dégénère en licence, et l'ordre ne saurait exister sans la règle qui implique nécessairement une autorité à laquelle on doit se soumettre” (pag. 13). Et tamen hujus veritatis immemores sunt illi: “qui crient à la tyrannie, dès qu'il s'agit de mettre un frein aux écarts de la pensée ou aux extravagances de l'imagination.”

Ubi maxime illimitata libertas conceditur, uti in diariis, ibi vix quidquam egregii in lucem prodit. “Ce curieux phénomène est à nos yeux la condamnation du système qui prétend faire avancer l'esprit humain sur la route du progrès, en le libérant du joug de toute espèce d'autorité, soit religieuse, soit morale” (pag. 25).

Dum lex fundamentalis nostra, quae hodie viget, de jure opinionum profitendarum ope preli solum paucis verbis egit, lex publica anni 1815 eximio modo naturalam atque naturales hujus juris limites indicabat. “*Het is aan elk geoorloofd — dicebatur in art. 225 — om zijne gedachten en gevoelens door de drukpers, als een doelmatig middel tot uitbreiding van kennis en voortgang van verlichting, te openbaren, zonder eenig voorafgaand verlof daartoe noodig te hebben, blijvende nogtans elk voor hetgeen hij schrijft, drukt, uitgeeft of verspreidt, verantwoordelijk aan de maatschappij of bijzondere personen, voor zoo verre dezer regten mogten zijn beleedigd.*”

Disputationi nostrae de naturalibus juris opinionum profitendarum limitibus non meliori modo finem impnere possemus quam per illa verba citata quae simul breviter atque egregie opinionem nostram, in hoc opusculo emissam, complectuntur. Libere cogitata sua enunciare necessarium est atque utile, quia communicatione horum cogitatorum scientiae hominum augentur et humanitas extenditur. Sed quia communicatione illa non solum id quod bonum et utile sed etiam id quod est malum et perniciosum perpetrare possimus, aeterna iustitiae praescripta postulant, ut unusquisque de cogitatis suis communicatis respondeat atque damnum datum resarciat.

Absoluto jam, pro viribus, argumento, quod tractandum suscepimus, liceat nonnulla addere, quae ea opportunitate de singulis quibusdam quaestionibus affinibus adnotavimus.

II.

DE JUDICIIS JURATIS IN DIJUDICANDIS DELICTIS, OPE TYPOGRAPHIAE COMMISSIS.

Inutile nobis non videtur ut hoc loco quaedam addamus verba de argumento, quod, quamquam non directe ad nostrum propositum pertinet, tamen arcte cum eo cohaeret. Defendantes enim libertatem opiniones profitendi, silentio praeterire non possumus quaestionem, quam sere omnes scriptores, qui de nostra egerunt materia, trac-taverunt, nimirum hanc, an judicia jurata necessario cohaereant cum preli libertate. In Francia, Anglia, Germania et alibi etiam, sententia illa universe recepta est; sed in patria nostra contrarium valet systema. Ne tamen nimis longi fiamus, hanc institutionem, omni quo patet ambitu, hic neque defendere neque improbare volumus, sed solum hanc investigare quaestionem, an illa judicia libertati typographiae magis convenient quam judicia ordinaria. Multi enim sunt scriptores qui, quamquam universe judicia jurata improbant, ea tamen preeferunt

quando agitur de delictis typographiae, scilicet quatenus illa delicta politica dici possunt.

Praecipua argumenta quae contra tribunalia ordinaria adhibentur, sunt haec tria: 1) Delicta typographiae constituant genus speciale; iis qui illa dijudicant tribuenda est potestas latior quam ordinariis judiciis concedi potest. 2) Nimis interest magistratus illum condemnari qui ab eo accusatus est, et illud, quod magistratus interest reum condemnari, saepe etiam de judicibus valere potest. 3) Si sententia judicis ordinarii de typographiae libertate manifeste falsa est; si illam libertatem aut nimis extendit aut nimis coaretat, talis judex salutarem legis finem facile evertere potest, quia judices ordinarii removeri non possunt.

Primum argumentum citatum defendit celeberrimus scriptor Francicus BENJAMIN CONSTANT⁴ his verbis: "Un jugement sur des interprétations a inévitablement quelque chose de discrétionnaire. Si vous investissez un tribunal du droit de prononcer, vous dénaturez les fonctions des juges. Ils sont astreints à se conformer à la lettre de la loi. Leur seul devoir, leur seule mission, c'est de l'appliquer. Mais en les chargeant de juger du sens caché d'un écrit, vous les forcez à se livrer à des conjectures, à se fabriquer un système, à prononcer sur des hypothèses, choses déstructives de leur qualité d'organes impossibles de la loi écrite." Distinctio illa celeberrimi scriptoris magis ingeniosa quam justa dici potest. Revera in delictis typographiae interpretatio scripti in primis est necessaria et judici solum competit stricte legis criminalis verba applicare. Sed nulla adesse potest causa qua judex legem applicabit, investigatione de facti natura non in-

⁴ *Cours de politique constitutionnelle*, I, pag. 524.

stituta. Nonne ab hac investigatione pendet quaestio, an lex criminalis applicari debeat et quidnam legis statutum delicto commisso conveniat? Sine dubio investigatio facti vulgo facilior est quam interpretatio scripti, sed primo loco illae regulas permultas habet exceptiones¹, et secundo loco illae difficultates certe non commendant judicia jurata, quae videlicet majore libertate fruuntur sed certe non majore intelligentia praedita sunt. Pergit **BENJAMIN CONSTANT** hoc modo: "Les jurés décident d'après leur conscience, d'après le bons sens naturel à tous les hommes. Ils sont les représentants de l'opinion publique, parcequ'ils la connaissent, ils évaluent ce qui peut agir sur elle; ils sont les organes de la raison commune, parceque cette raison commune les dirige, affranchie qu'elle est des formes qui ne sont imposées qu'aux juges, et qui, ne devant avoir lieu que pour assurer l'application de la loi, ne peuvent embrasser ce qui tient à la conscience, à l'intention, à l'effet moral." Orationis flumine ductus, **BENJAMIN CONSTANT** hoc loco accusationem in medium assert, quam non possumus non impugnare, nomine ordinis judicarii universe et praesertim patriae nostrae. Quid enim! Quia judicibus non licet legem et formas

¹ Quot quaestiones graves et difficiles non fere quotidie oriuntur e. g. ex illa parte Codicis quae de falsis agit. Leges criminales non quovis anno mutari possunt, quamquam hominum conditio nunquam est stabilis atque societas quotidie ad majorem gradum perfectionis pervenit. Omnes illas mutationes leges praevidere non possunt. Post earum confectionem innumerabiles oriuntur industriae novae, quae nova delicta afferunt, legibus vigentibus non directe praevisa. His casibus interpretatio facti, quamquam saepe valde difficilis, omnino est necessaria, ut illud factum commissum ad quoddam genus commune reducatur. Difficultates illae igitur non solum typographiae delictis propriae sunt.

negligere, non possent amplecti ea omnia quae conscientiam delinquentis spectant, quamquam lex expresse jubet hunc animum investigare? Nisi ipsi convicti de malo proposito, de animo injuriandi delinquentis, condemnare eum non possunt, et illi qui perhibent, tribunalia ho-dierna, tam in Francia quam in patria nostra, sine convictione agere, ea graviter calumniantur.

Et quia judices ordinarii non tam “effectum moralem” spectant; quia judices jurati, interpretes publicae opinionis, in suis sententiis potius sequuntur voluntatem partis majoris populi, nonne hanc ipsam ob causam in delictis politicis investigandis rejiciendi sunt? Certe novam sententiam non enuntiamus, dicentes, hanc majorem partem populi, hanc publicam opinionem saepe etiam exercere tyrannidem intolerabilem. Historia omnium temporum hanc veritatem demonstravit. Nonne igitur verendum est ne aliquis scriptor, qui audacter opiniones suas contra majorem populi partem defendit, ab interpretibus hujus partis condemnetur, quia effectum moralem magis spectant quam animum scriptoris? Nonne his casibus, certe non raris, judicum interest, quis sit litis eventus, id quod contra primum bonae justitiae requisitum pugnat? Ut vidimus, illud argumentum igitur non contra ordinaria tribunalia adhiberi potest.

Secundum argumentum ab eodem scriptore defenditur⁴: “Il y a cette différence entre les délits de la presse et les autres délits, que les premiers compromettent toujours plus ou moins l'amour-propre de l'autorité. Quand il s'agit d'un vol ou d'un meurtre, l'autorité n'est nullement compromise par l'absolution du prévenu, car elle a seulement requis d'office l'investigation d'un fait. Mais

⁴ *Politique constitutionnelle*, I, 526.

dans la poursuite des écrits, l'autorité paraît avoir voulu faire condamner une opinion , et l'absolution de l'écrivain ressemble au triomphe de l'opinion d'un particulier, sur celle de l'autorité. Les tribunaux ne sauraient alors juger impartialement: institués par l'autorité, ils en font partie, ils ont un intérêt de corps avec elle. Ils penchent toujours pour l'autorité contre l'écrivain.¹ Sieut ex his dictis patet, BENJAMIN CONSTANT judiciis ordinariis non fayet. Ut supra vidimus, vereri videbatur, ne sine convictione jus dicerent judices ordinarii, hic ne amitterent pulcherrimam munera sui partem, libertatem agendi. Nescio quibus factis tribunalia Franciae, tempore hujus scriptoris , graves has reprehensiones meruerint, sed certe hodie injustae sunt. Praeterea secundum legem nostram, quae continet ordinationem potestatis juridicae, judices a rege creantur, commendati ab ipso tribunali vel a Curiis Provincialibus². Electio igitur est mixta, atque judices non amplius gubernatorum delegati dici possunt. Et etiam si magistratus in quodam tribunali perniciosam hanc auctoritatem exerceret, restat semper accusatis suprema illa curia, cuius membra ab ipsis populi delegatis creati, omnes judicij jurati cautiones possident, dum ei permulta illa vitia non propria sunt, quae huic institutioni inhaerent. Certe nemo dicet, hanc curiam in delictis typographiae civitatem scriptori incognito praeferre. Multa adsunt exempla quae contrarium testantur.

Tertium argumentum quod defensores judicij jurati saepe adhibent, invenimus apud CHASSAN, in opere suo egregio, jam saepe laudato². Scriptor ille institutionem

¹ Videatur Art. 52, 63 et 85.

² *Traité des délits et contraventions de la parole, de l'écriture et de la presse*, II, pag. 144.

juratorum inquisitioni accuratae subjicit. Ex theoria aperte demonstrat praestantiam tribunalis ordinarii tam in civilibus quam in criminalibus causis, delictis typographiae non omissis. Maxima vitia judicij jurati enumerat et tamen omnia illa argumenta irrefutabilia subito submittit huic rationi: “Mais quelle que puisse être l'aptitude de la magistrature sous le rapport de l'appréciation, il faut se hâter de reconnaître, que ce qui lui manque dans les affaires criminelles et ce qui donne sur elle au jury une incontestable prééminence, c'est l'aptitude politique. Aux yeux du public, le jury est un moyen de garantie contre le pouvoir. La masse des citoyens sera toujours plus satisfaite des condamnations prononcées par un jury, que de celles, *QUOIQUE PLUS IMPARTIALES*, qui seraient l'ouvrage de fonctionnaires publics. *N'y eut-il, dans le jugement par jurés, que la sécurité que cette institution inspire à tous, cette sécurité seule serait un motif suffisant pour lui donner la préférence?*”

Non recte intelligimus, quomodo vir tam doctus, jurisconsultus tam ingeniosus, qui ipse apud ordinem judiciorum locum tam excelsum obtinuit, praeferre possit institutionem, quia afferit securitatis speciem, quam ipse agnoscit falsam esse. Quid enim! Sententiae tribunalis ordinarii magis justitiae convenient, sed quia praejudicata opinio multitudinis judicio jurato favet, sequenda est illa opinio et negligenda justitia ex timore ne displiceat ignorantiae? Si tale argumentum in vitam politicam semper applicaremus, quomodo ullam instituere possemus emendationem, quia ignorantiae inhaeret, ut illas innovationes, quae non palpabile lucrum afferunt, improbet. Ne dicamus, “sufficit ut hi, qui in judicio agunt, haec illis praeferant. Quam ob rem, si homines judicia iurata tutiora aestimant, alia institueremus?” Talis dis-

putatio falsissima esset, nam justitia in judiciis primum est requisitum salutis civitatis. Sed hoc loco non de Francia agimus: tunc etiam quando securitas illis regionibus suaderet, ut conservaretur talis institutio, *quia existit*, argumentum certe non valeret in patria nostra ubi *non existit*.

Sed majoris momenti sunt dicta quae sequuntur et quae proprium tertium argumentum contra judicia ordinaria constituunt. “Rien de plus dangereux — dit CHASSAN — pour la société comme pour le pouvoir, que de mettre les délits de la presse dans les mains d'un corps permanent et inamovible. Les erreurs, les mauvais vouloirs d'un jury ne se transmettent pas. C'est un corps mobile comme les délits de la presse, qui lui sont déférés. On peut toujours espérer que les jurés qui viennent remédieront au mal fait par ceux qu'ils remplacent. Mais dans une compagnie permanente les erreurs font jurisprudence; la passion aussi a ses précédents; l'esprit de corps n'exclut pas l'esprit de parti. L'un et l'autre souvent se confondent et se perpétuent pendant plusieurs années. L'instrument, dont on avait cru se servir contre le peuple, se tourne contre le pouvoir. C'est le roseau qui se brise et perce la main qui s'y appuie”⁴. Tale argumentum certe veritate et justitia non caret. Leges, quae typographiam regunt, natura sua nonnisi imperfecte omnia delicta quae ope hujus typographiae committuntur indicare possunt. Id quod non nulli secundum legem existentem delictum credunt, alii licitum censem secundum eandem legem. Permultum arbitrio judicis relinqui debet. Imaginarius non est

⁴ Opere laudato, II, 145.

casus, quod ullum tribunal hanc ob rem libertatem typographiae nimis extenderet aut restringeret. Cautio, quam libertati populi praebet constitutio, vel quam magistratus securitati praebent leges, hoc modo evanescere posset.

Sed contra talis casus nonnisi raro existere potest, propter magnum judicum numerum, quorum major pars non facile falsas illas libertatis notiones amplectetur. Praeterea tunc solum apud nos hoc argumentum valeret, quum tales interpretationis errores existerent apud Curiam Supremam, quia ceterorum judiciorum sententiae ab hoc tribunali corrigi possunt. Et an nunc ea vicia unquam exspectanda sunt in hac Curia, cujus membra a populi delegatis eliguntur ex peritissimis et acutissimis Jurisconsultis? Hoc denique addere possemus, judicia nostra, quamquam immutabilia, tamen, magni judicum numeri causa, paucis annis ita mutari, ut hi qui hodie majorem partem constituebant, vix minorem efficerent partem.

Non dubitamus igitur etiam hoc tertium argumentum rejicare, et denique pro patria nostra institutionem judiciorum juratorum, ubi de delictis typographiae agitur, improbare.

Sed quum tribunalia ordinaria nobis videntur omnes illas cautiones offerre, quae libertati typographiae conveniunt, idem affirmare non possumus de iis judiciis exceptionalibus, quorum usus in delictis typographiae saepe nimis frequens fuit. Igitur etiam hanc ob rem valde nobis improbanda videtur illa famosa lex Francica mensis Septembbris anni 1835, quae, postquam pluribus delictis typographiae nomen dederat eorum naturae contrarium (*attentats contre la sûreté de l'état*), cognitionem horum delictorum deferebat Curiae Parum (*Chambre des Pairs*).

Tale praeceptum revera minabatur necessariae libertati cogitata ope typographiae enuntiandi.

¹ Artis 1, 2 et 5 hujus legis quaedam delicta ope typographiae commissa, sicut injuria regi infictae, promovebantur ad gradum criminum, nomine aggressionum contra securitatem publicam. Simul cum illa promotione cognitio horum criminum mandabatur Curiae Parum, quia Art. 28 Legis Publicae, illo tempore vigentis, hanc Curiam indicabat ad dijudicandas agressiones contra securitatem publicam. Nonnulli oratores factionis oppositae (ROYER-COLLARD, DUPIN, ODILLON-BARROT) magna eloquentia sed sine fructu hoc praeceptum impugnabant et summo jure indicabant alterum statutum ejusdem Legis Publicae (Art. 69), quod dicebat, judiciis juratis mandatam esse cognitionem delictorum typographiae.

III.**D E D I A R I I S.****§ 1. De conditione hodierna diariorum.**

Si diaria mundo ignota essent et typographia nonnisi librorum corpus comprehendenderet, numerus eorum qui prelibertatem adorantur longe minor esset, et leges ad ejus usum constituendum paucis verbis indigerent⁴.

⁴ Institutio diariorum jam antiquis temporibus cognita erat. Tempore Reipublicae, jam Romae publicabantur *acta diurna* vel *diaria*, quae deliberationes Senatorum, orationes in comitiis publicis et iudiciis, eventus pugnarum aliasque res quae communis erant momenti commemorabant. Teste Dionysio (XLIV, 11; XLVII, 11; LVII, 23) diariorum abusus illo tempore non minor erat quam hodie, praesertim sub imperio Caesaris et Tiberii. Editum est in Francia opus, inscriptum *des Journaux chez les Romains*, cuius auctor est M. J. V. LE CLERC, ubi totum hoc argumentum egregie tractatur.

Primum diarium quod recentioribus temporibus editum fuit, erat *Gazetta* urbis Venetiae. Illa vox *Gazetta* significabat parvam monetam aeneam, a lectoribus solvendam. Diarium illud, saeculo decimo sexto conditum, primis temporibus erat manuscriptum. Secundum diarum fuit *the English Mercury*, anno 1588 conditum, Vid. *Conversations-Lexicon* viri clarissimi o. l. b. WOLFF, prof. Academiae Jenensis. Leipz. 1837, in voce *Zeitung*. — Confer. etiam A. DE GRATIUS, Opere laud. II, 5 sqq.

Omnis homines, majore vel minore gradu, libertatem collunt; iis repugnat ut ab aliis pendeant. Suas opiniones — et quis non habet suas opiniones! — tanquam sapientissimas et optimas fere unusquisque aestimat, et cum ardore atque amore igitur amplectitur omnia media, has opiniones libere et sine damno emitendi. Tyranni solum, qui recte norunt quam injusto fundamento sua nitatur auctoritas, timent veritatem et naturales sunt inimici libertatis typographiae.

Sed ille amor libertatis fere apud omnes superatur amore securitatis. Tranquille vivere, sine damno vel periculo bonis frui, quae nostro labore aut alio modo juste acquisivimus, princeps est votum eorum omnium, qui revera aliquid possident et quibus igitur illud damnum non est vox vana. Turbae cum funestis suis sequelis in primis praeveniendae sunt et nullum sacrificium nimis magnum videri posset ad optabilem tranquillitatem vindicandam. Primum sacrificium necessarium multis libertas typographiae visa est, non tam librorum causa quam diariorum, quae instigationibus suis et immensa auctoritate qua fruuntur, maxime valent ad hanc tranquillitatem evertendam. Remedia coercitiva gravissima multis vix satisfacere possunt, et non pauci vota faciunt pro eorum interitu.

Et revera quando animum advertimus ad conditionem hodiernam diariorum, non separatim hacce illave regione, sed per totam Europam; quando eorum auctoritatem examini submittimus et privilegia observamus quibus fruuntur, tunc certe dubium oritur, an ea omnia profluere possint ex jure legitimo “cogitata sua enuntiandi ope typographiae,” an illa auctoritas non sit usurpata. Quis, non ignarus omnium remediorum quibus vulgo utuntur diaria, tristem illam veritatem fateri non debe-

bit? Hoc in primis valet de illis diariis, quae — sicut dicitur — certum quoddam sistema politicum praedicant et quibus Victoria hujus systematis princeps atque fere unicus est finis. Et quomodo hunc finem assequuntur! In illis etiam, quae sine mala fide agunt, primi sui requisiti, nimirum ut, sine ullius partis studio, omnia facta et fata publicentur, non raro obliviscuntur et fere sine consilio hoc vel illud quod eorum doctrinis est contrarium practereunt, dum aliud factum, quod magis eorum systemati convenit, omni modo illustrant atque amplificant.

Non loquimur de iis diariis quorum propositum minus est generosum et nobile; quae non sistema, quod utile et verum credunt, defendunt, sed quae non nisi personas spectant; quae sine ullo pudore hodie negant quod heri affirmaverunt; quae, non amore veritatis sed ira et invidia ducta, systemata et consilia oppugnant, non quia nihil valent sed quia proveniunt ex castis inimicorum politicorum; quae solum ad lucrum faciendum typographia utuntur et ad hunc finem assequendum illis tantum cogitatis inhaerent, quae majori parti placent; quae libertatem loquendi atque scribendi considerant tanquam medium vulgare scriptoribus oblatum, ut ad conditionem meliorem perveniant et qui homines summa auctoritate praeditos vel adulantur vel acriter oppugnant, donec munus lucrosum fiat beneficium harum adulacionum aut pretium redēctionis harum aggressionum. Et tamen numerus illorum diariorum satis est magnus, atque eorum auctoritas latior quam ea qua fruuntur alia.

Non solum in diariis politicis talem animadvertisimus usurpationem, sed omnibus ceteris, majori vel minori gradu communis est. Literae in primis experiuntur tristes consecutiones intolerabilis hujus tyrannidis. Opera magna,

praestantia, excellentia, cuiuscunque generis, dijudicantur ab hominibus inexpertibus et ignotis, et illa judicia terribilia atque irrevocabilia per mundum propagantur, qui, maxima parte tam ignarus quam ipsi judices, laudem immeritam vel reprobationem injustam diariorum repetit.

Et illae dijudicationes ignorantiae nondum sunt pessimae neque frequentissimae. Hic praesertim, fere in omnibus Europae regionibus, mala fides perniciosa suam exercet auctoritatem. Ne credas commendationibus librorum, ubi verba fere sufficere videntur ad laudes spargendas; auctor ipse libri celebrati, vel quidam amicus benevolus sed ignotus, est scriptor hujus commendationis, quam non raro nummis emit. Ne fidem habeas eisdem relationibus si acres continent reprobationes, nam privatus quis inimicus amoena usus fortasse est occasione diariis oblata, innominatus et igitur tutus in ira vel invidia satisfacienda. Certe tristis illa regula honorificas habet exceptiones, sed fateamur eas non esse frequentes. Admodum parvus est numerus eorum diariorum quae, libera et integra, in omnibus dijudicationibus nulla auctoritate aliena ducuntur et illas dijudicationes solum in his casibus suas faciunt, in quibus judices sunt noti et competentes in materia de qua agitur. Maxima pars non repugnat omnibus illis artificiis, quae scriptores, ut finem suum perniciosum celarent, complectuntur in illa voce lata et incerta nostri temporis, et quae igitur in sermonem Latinum verti nequit, in voce *journalistique*. Quamquam omnia ea vitia etiam in libris inveniri possunt et saepe inveniuntur, magna eorum frequentia in diariis multas ob causas periculosior est et illam constituit usurpationem de qua supra diximus. Praecipuae hae causae sunt: numerus

ingens lectorum, ipsa materia quam tractant diaria, magna facilitas confectionis, editio quotidiana et obscuritas quo fruuntur scriptores. Cum singuli libri nonnisi de hoc vel illo argumento agunt et igitur solum ad certum quoddam genus hominum perveniant, diaria omnia amplectuntur genera et tam viro politico quam mercatori, tam principi quam infimo magistratui fere necessaria sunt. Brevitas qua omnia argumenta tractantur et magna simplicitas stili (simplicitas quae in patria nostra usque ad fere totam corruptionem pulchrae nostrae linguae vernaculae ducta est) eorum usum simul omnibus, etiam intelligentia tardissimis, aptum reddat. Materia quam tractant pertinet ad hanc partem historiae, quam scire hominum permagni interest, nimirum historiam hodierni temporis. Facta et fata quae enarrantur ad nos directe pertinent et igitur auctoritatem exercent majorem et periculosiorem, quam ulla descriptio rerum imaginariarum vel longe praeteritarum unquam efficere posset. Et his casibus etiam, in quibus nonnulli scriptores, cujuscunque generis, adeo magnum successum haberent ut effectum extraordinarium evocarent, ille effectus nonnisi rarissimis casibus ad directam eversionem rerum vigentium tendit. Praeterea post majus vel minus temporis spatium ille effectus evanescit, cum diaria, iteratione quotidiana, auctoritatem constitutam non solum firmant sed etiam augent. Animadvertisimus tandem, diaria, quorum auctoritas jam est constituta, pro libidine folia sua aperire et recusare opinionibus et sententiis, quae eorum consiliis favent vel nocent et hoc modo monopolium creare contra quod libri, qui omnibus his privilegiis carent, nihil valent¹.

¹ Anno 1838, EMILE DE GIBARDIN edidit opusculum, inscriptum de la liberté de la Presse et du Journalisme. Hoc in opusculo conditionem

Concedamus igitur libertatem typographiae, quod attinet ad diaria, praecipuum consilium, nimirum ut “*unusquisque libere opinione suas profiteretur*,” nondum attingisse et contra paucis periculosa praebuisse arma. Non viget libertas typographiae, si nonnulli, obscuri atque incogniti, nomine majoris partis populi loquuntur et ad opiniones suas spargendas remedii utuntur, quibus alii carent. Libertas non viget, si non omnibus est eadem, nam paucis data, constituit usurpationem et odiosam tyrannidem.

Injustum tamen esset si postquam indicavimus vitia non etiam mentionem faceremus magnorum commodorum quae diaria afferunt. Disquisitio omnium rerum publicarum, quamquam saepe injusta et nimis severa, tamen pretiosam nobis praebet cautionem de bona harum rerum gestione. Omnia vitia, minima sicut maxima, diariis inimicis commemorantur et aucta atque ornata referuntur. Evitant igitur gubernatores hos errores, timore publicitatis ducti, si amor patriae iis nondum satis fortis est stimulus. Praeterea, quamquam mendacia et injuria plerisque diariis non sunt ignota, veritas tamen in aestimabilis saepe ex eorum dijudicationibus appetit et utilitate quam affert multa compensat vitia. Quamquam

diariorum in Francia tamquam pessimam depinxit, sic ut verba sequentia jam satis indicant: »Honorez vous du titre d'écrivain, d'orateur, de professeur, mais non de celui de journaliste, car ce titre-là ne saurait honorer personne; car le journalisme n'est ni une profession, ni un métier, mais une prostitution de l'esprit qui l'énerve, qui pervertit le jugement le plus droit, déprave le goût le plus sain, corrompt la bonne foi la plus inaltérable, avilît la conscience la plus noble, abaisse les sentiments les plus élevés. Nul — ne fut ce qu'une seule fois en toute sa vie — n'a touché au journalisme sans une souillure, un regret ou un remords.“

laudes sparguntur injustae atque reprobationes ultra modum, saepe tamen virtuti praemium meritum et vitiis poena aequa praebetur. Quamquam ignorantia proclamat ingenium maximum, tamen etiam vero ingenio datur gloria quam meretur. Quamquam mysteria violantur vitae privatae, tamen etiam publica misericordia invocatur tristium nobiliumque calamitatum gratia et vulnera sanantur, quae sine diariorum auxilio omnibus medicamentis carerent. Quamquam ignoti et malevoli sua auctoritate abutuntur ad injurias spargendas et insana praedicanda systemata, diaria tamen etiam obscuris scriptoribus facilem praebent occasionem dignam merendi aestimationem. Denique, quamquam vitia fere sunt innumerabilia, virtutes etiam inaestimabilis sunt pretii.

Et illa commoda quae diaria afferunt, non solum privatos sed etiam gubernatores spectant. Saepe quidem diaria discordiae causa fuerunt, sed media, quibus ad finem suum assequendum utuntur, non occulta sed etiam iis aperta sunt, qui publicam securitatem tueri debent. Licet pericula, quae diaria creant, propter magnam publicitatem etiam majora sint, longe tamen facilius praeveniuntur, quia omnibus sunt nota. Nostris diebus semper disseritur de turbis et commotionibus, de turbido populorum animo et eorum fervore, quae per diaria evocantur et aluntur. Accusatio illa nobis tamen saepe injusta videtur. Quamquam videlicet turbulentia hodierna major sit quam aliis temporibus, tamen non est nova, quia hodie solum in diariis de illo animo patet, cum antea plerisque incognitus erat. Sine dubio magna diariorum publicitas hodierno tempore hunc fervorem stabiorem reddit, sed simul securitati publicae valde inservit indicando moralem hanc populi conditio-

nem. Illa utilitas majoris nobis videtur momenti quam ipsa pericula ⁴.

Saecula praeterita, quum diaria cognita nondum essent, violentis commotionibus non minus abundaverunt, sed illae commotiones oriebantur, sicut tempestas in vespere aestivo, nimirum subito sub forma conjurationis, et ipsius hujus obscuritatis causa, majores calamitates efficiebant quam ex turbis hodiernis, cognitis et praevisis, oriri possent. Vox "conjuratio" hodie fere in desuetudinem abiit, quia occulti illi conatus eversionis rerum vigentium neque necessarii sunt neque fieri possent. Factionibus licet in diariis suas opiniones et vota expondere. Aliis remediis iis non opus est, et etiam in illo casu, quo in obscuro se tenerent atque consilia sua indicare scriptores non auderent, ex scriptis aliorum diariorum facile gubernatores vigilantes animadvertisunt unde periculum oriatur, et quomodo praeveniendum sit.

Exemplum veritatis hujus irrefutabilis imperium Russiae nobis affert. Libertas loquendi et scribendi ibi incognita est. Quies simulata et perpetua viget in his regionibus, donec subito audiamus de quadam inita conjuratione, cuius effectus se per totum imperium extendunt et quae, paucis diebus ante eruptionem, casu fortuito revelata est. Semper iteratae, hae conjurations quavis tempore, si hae calamitates non a Deo avertuntur, finem suum assequi possunt, et superbum atque potens illud imperium in grave discrimen adducere. Nullo alio loco ubi libertas loquendi et scribendi viget, talia exstant pericula. Diaria — sicut dicitur — lente imperia

⁴ CHATEAUBRIAND commoda quae diariis debemus egregie exposuit et historice indicavit, accusationes contra ea allatas, magna parte falsas esse. Vid. in oper. *Mélanges politiques et littéraires*, pag. 267 sqq.

suffodiunt, sed conjurationes repente ea delent. Primo casu gubernatores diligentia et bonis remediis preevenire possunt ne cadant, altero casu etiam fortissima moenia impetui succumbere debent⁴.

Utilitas quam preebent diaria igitur tanti est momenti, ut conservatio hujus institutionis ante omnia necessaria sit, quamvis vitia ei inhaereant. Sed hanc ob rem ea vitia nobis vulnera insanabilia non videntur, quae tranquille pati debemus, et quamquam fieri non posset ut omnes errores corrigeremus, multa tamen facienda restant, ut minuantur et preeveniantur. Conabimur in paragrapho sequenti medicamenta illa necessaria indicare.

§ 2. *De remediis adhibendis ad diariorum conditionem corrigendam.*

Anno 1830 ministri regis Franciae diaria accusaverunt quod non etiam primo suo requisito satisfaccerent, nimirum publicitati, et quamquam propter magnum dia-

⁴ Etiam acerrimi oppugnatores magnae libertatis typographise hanc veritatem concedere coacti sunt. Celeber orator politicus in Francia, DE MONTAUBERT, qui anno precedente, tanta vi restrictiones libertatis typographiae defendebat, postea emisit sententiam quae directe convenit cum iis, quae commemoravimus de utilitate juris disputandi et de commodis publicitatis late extensae. Enuntiavit nimirum, quum in coetu delegatorum mensis Januarii anni 1830, ageretur de legi, quae constituit publicam instructionem primariam, haec verba: »La définition du mal a été donnée par un homme que nous avons eu pour collègue, l'honorable Mr. PROUDHON. J'avoue que j'ai du goût pour cet écrivain (on rit). Je dis pour l'écrivain, ... Et voici pourquoi: C'est qu'il tient une torche à la main, et avec cette torche il illumine, en l'agitant, les parois de la grotte ténébreuse, où nous sommes engagé depuis deux ans.»

riorum numerum illa sententia insana videretur, summo jure edixerunt, in Francia non existere illam publicitatem¹. Sed loco remediorum ad hanc publicitatem constituendam vel augendam, contrarium dederunt consilium et suaserunt regi, ut omnia diaria interdiceret, ne longius publicae quieti minarentur. Famosa historia hujus temporis novum praebuit exemplum pravitatis talis systematis. Portae, publicitati clausae, aperiebantur insurrectioni et simul gubernatoribus fugientibus. An hodie, fere post viginti annos horum eventuum, animadversionem ministrorum Francicorum repetere debemus, in primis quod pertinet ad patriam nostram? Videlicet illo tempore conditio diariorum pejor erat quam hodie, sed etiam anno 1850 in patria nostra longe abest, ut diaria omnibus requisitis publicitatis satisfaciant. Secundum formam imperii, quae hodie apud nos viget, publicitas princeps et optima est cautio salutis publicae. Portae coetuum politicorum aperiuntur, non ut populus omnibus disputationibus intersit, sed ut diaria eas accurate enarrent. Sine illa enarratione cautio data vana et inutilis est. Et quomodo diaria nostra hoc officium implet et necessariae illi publicitati favent? Argumenta quae scire omnium interest, vel plane negliguntur vel paucis verbis tractantur. Mentionem faciunt diaria de eventu disputationum, sed disputatio ipsa plerumque ad publicam cognitionem pervenit, post plures demum menses, quum maxima hominum pars, ad nova facta animum advertens, ejus jam oblita sit. Et tamen populi

¹ „La presse périodique n'a pas même rempli sa plus essentielle condition, celle de la PUBLICITÉ. Ce qui est étrange, mais ce qui est vrai à dire, c'est qu'il n'y a pas de PUBLICITÉ en France, en prenant ce mot dans sa juste et rigoureuse acceptation.” *Rapport au Roi, DE POLIGNAC, etc., diei 25 mensis Julii 1830.*

permagni interest non solum suffragium scire, à mandatariis datum, sed etiam rationes quae eos moverunt et quas hanc solam ob causam aperte enuntiaverunt. Quod de publicis coetibus politicis valet non minus est verum de omnibus ceteris rebus. Facta enarrantur, sed rationibus non additis, unde profluerunt, et effectibus quos habuerunt. Cogitata enuntiantur, sed diariorum folia non satis sunt ampla ad ea explicanda. Literarum imperium vel plane removetur, vel magna habetur negligentia. Publicitas judicialium sententiarum vox vana est.

Ante omnia alia igitur necessarium est, ut haec adhibeantur consilia, quae illi publicitati favent, nam publicitas non solum unicus est finis diariorum et princeps requisitum formae imperii vigentis, sed etiam validissimum remedium mendacium ignorantiamque oppugnandi et diariorum usurpationes praeveniendi. Causae cur illa optata publicitas apud nos non existat, facile inveniuntur. Fere omnes originem debent gravibus difficultatibus quae constitutioni diarii inhaerent et magnis impensis quae necessariae sunt ut sustineatur. Experientia multorum annorum docuit, totum systema quo nititur institutio diariorum vitiosum esse. Omnes hae difficultates quae inservire debebant ad diminuendam auctoritatem diariorum contrarium habuerunt effectum et hanc auctoritatem auxerunt. Faverunt legislatores institutioni quam oppugnare credebant. Praeterit tempus, quo mercatura et industria domestica juribus prohibitivis defendebatur. Vestigia hujus systematis fere quotidie evanescunt et liber concursus iis successit, quia ille concursus ad publicum commodum necessarius est, et quia civitati non licet cum detimento multitudinis paucis favere. Diaria autem constituunt exceptionem. Magnis difficultatibus, quae impediunt constitutionem novi diarii, procurantur

iis quae jam existunt privilegia non minora et exerceatur illud monopolium cuius tristes sequelas quotidie experimur. Et tamen liber concursus nullo casu tam necessarius esse potest quam in ipsis diariis, nam cum illud jus fundamentale, nimur ut “unusquisque” ope typographiae libere opiniones suas profiteatur, fere exerceri non potest propter omnia illa impedimenta, illae difficultates simul magna parte efficiunt diariorum abusum quem supra commemoravimus.

Sed quomodo tristem hanc conditionem corrigere possemus? Immensaæ illæ impensæ quæ diaria postulant ex ipsa institutionis natura proveniunt et ab ea separari non possunt. Certe nos illam veritatem non negabimus. Sed hanc ipsam ob causam, quia hæc impensæ maxima parte sunt inevitabiles, civitatis esset vectigalia — tributa sigillorum (*zegeleregten*) dicta — tollere, quæ indirecte illas impensas augent et quorum commoda comparari non possunt cum detimento morali quod inde profluit. Sicut supra diximus, diaria odiosam et periculosa constituunt usurpationem. Descendit illa usurpatio ex nimis magna auctoritate quam exercent, et igitur illa auctoritas diminuenda est. Vectigalia contrarium habent effectum. Conjungunt vires quæ separari deberent. Attribuunt uni auctoritatem quæ existere non posset si inter centum divisa erat. Creant privilegia quæ longe minoris essent momenti si illud impedimentum non existet¹.

¹ Eadem est sententia viri celeberrimi A. DE TOCQUEVILLE. Inventimus nimurum in opere ejus egregio, sur la démocratie en Amérique, verba sequentia: »Aux États-Unis il n'y a pas de patente pour les imprimeurs, du timbre ni d'enregistrement pour les journaux, enfin, la règle des cautionnemens est inconnue. Il résulte de là que la création d'un journal est une entreprise simple et facile, peu d'abon-

Sed ecce non unicum vitium hujus vectigalis. Etiam ob alias causas nobis id improbandum videtur. Necesaria enim est consequentia — sicut jam recte animadvertebat EMILE DE GIRARDIN¹ — quod diaria fiant institutio mercantilis, cum institutio politica esse deberent. Existere non possunt sine ingente numero lectorum; igitur primum requisitum ut existant, hoc est, ut lectoribus placeant. Lectoribus autem placere et simul omnia illa officia implere, quae summo jure a diariis postulamus, valde est difficile et saepe fieri non posset. Hominis voluntas est ambulatoria, — sicut Justinianus dicebat² — sed veritas immutabilis et aeterna. Certe longe abest ut diaria in patria nostra eodem modo a suis lectoribus pendeant atque in Francia, et contra etiam abolitio vectigalis sigillorum non sufficeret ut summa facultas libere sese movendi iis restitueretur, sed tamen apud nos etiam hac in re diaria necessaria carrent libertate et magna parte hujus vectigalis causa. Incognita nobis non sunt diaria, quae, coeci adversarii

nés suffisent pour que le journaliste puisse couvrir ses frais. Aussi le nombre des écrits périodiques ou sémi-périodiques aux États-Unis dépasse-t-il toute croyance. *Les Américains les plus éclairés attribuent à cette incroyable dissémination des forces de la presse, son peu de puissance; c'est un axiome de la science politique aux États-Unis, que le seul moyen de neutraliser les effets des journaux, c'est d'en MULTIPLIER LE NOMBRE.* — Je ne saurais me figurer qu'une vérité aussi évidente ne soit pas devenue chez vous plus vulgaire. Que ceux qui veulent faire des révolutions à l'aide de la presse, cherchent à ne lui donner que quelques puissans organes, je le comprends sans peine; mais que les partisans officiels de l'ordre établi et les soutiens naturels des lois existantes, croient atténuer l'action de la presse en la concentrant, voilà ce que je ne saurais absolument concevoir."

¹ *Études politiques*, pag. 250.

² *Institutiones Lib.* II.

vel defensores gubernatorum, in posterum existere non possent, si in sententiis suis majorem justitiam adhibere vellent et systema, semel acceptum, cui tot lectores debent, mutare, antequam sententiae lectorum mutatae sunt.

Ante duos annos in Francia et Belgia legislatores, de perniciosis effectibus hujus tributi convicti, id aboleverunt et hoc modo diariis necessariam libertatem redididerunt. Fere in omnibus regionibus Germaniae idem exemplum secuti sunt gubernatores. Igitur, experientia docti, de commodis atque incommodis talis consilii judicare possumus. Revera laudata abolitio nondum utilitatem omnem, quae de ea exspectatur, praebuit, sed tamen boni ejus effectus jam facile agnoscentur. Fata hodierni temporis apta non sunt ad auctoritatem diariorum diminuendam et tranquillis disputationibus non favent. Turbae publicae et ingens dissensio opinionum diaria directe spectant et perniciosos effectus in eorum conditionem exercere debent. Sed tamen persuasum nobis est, incommoda illa majora fuisse, si vectigal sigillorum in his regionibus adhuc vigeret. Quidquid alii de ingente numero diariorum, quae hodie in illis regionibus apparent, censeant, nobis haec copia boni videtur omnis. Monopolia deleta sunt; illimitata auctoritas singulorum inter permultos divisa est; necessaria publicitas imperium suum semper latius extendit, et post quoddam tempus, quando plurimae illae quaestiones politicae, semper graves et periculosae, resolutae erunt, diaria ad finem nobiliorem assequendum foliis utentur, quae hodie ad illa argumenta tractanda necessaria sunt.

Exemplum hujus veritatis invenimus in Belgio. Ibi populi conditio politica jam est stabilior et magis perfecta quam in aliis regionibus, sic ut pleraeque illae dis-

quisitiones servidae et acres pro aliis argumentis, non minus utilibus sed magis moderatis, relinqu possint. Quomodo hodie sese habent diaria in Belgio? Ante duos annos in extraneis regionibus fere incognita et in ipsa patria praeda potentissimarum factionum, quae sua ope saepe tyrannicam exercebant auctoritatem, diaria Belgica hodie ubivis aestimantur et propter magnum eorum numerum nullam auctoritatem exercent, praeter eam quae ex ipsa eorum praestantia profluit. Ab impedimentis, quae vectigalia creabant, liberata, diaria illa parvam suam formam extenderunt, ut spatum conveniret requisitis publicitatis, et proventibus auctis usi sunt ad augenda media quae huic publicitati favere videntur. Exemplum allatum praesertim hanc ob rem nobis convenit, quia cum Belgarum moribus fere mores congruunt nostratum quod ad libertatem typographiae attinet, dum indoles Francorum contra insuperabile videtur afferre impedimentum, ne recte constituatur illud jus cogitata sua edicendi ope typographiae. Igitur ne absterreamur exemplo Franciae, quia vitia diariorum institutionis hac in regione maxima parte originem debent causis, quae nobis sunt alienae.

Si commoda abolitionis hujus tributi tanti sunt momenti et tam aperte patent, quam ob rem haec abolitio infructuose apud nos rogatur; quam ob rem non sequimur exemplum a plerisque regionibus datum? Responsum non minus est apertum quam promptum. Sigilla quotannis aerario publico praebent nescimus quas pecuniae summas, quibus carere non potest et quae longe facilius contribuuntur quam tot alia vectigalia, quae rebus ad vitam maxime necessariis imponuntur. Talia argumenta simul nihil et multum valent. Quia sigilla tantam pecuniae summam thesauro publico praet-

bent et quia alia existunt vectigalia pejora adhuc, certe non utilitas et necessitas hujus tributi demonstratae sunt. Hoc solum probatur, quod totum sistema vectigalium magnis et multis indiget reformationibus, si convenire vellet aureae illae descriptioni celeberrimi SULLY : “L’impôt ne devrait être que la mise apportée par chaque individu dans la vie civile pour avoir part à ses bienfaits; elle devrait être proportionnée aux avantages qu’en retire le contribuable et prélevée sur des bénéfices; *elle ne doit, en aucun cas, entraver la liberté nécessaire au succès de son industrie.*” Contra tamen, speciosae doctrinae de gravibus vectigalium oneribus non sufficiunt et aerarium implere non possunt. Tributa strictae sunt necessitatis et illa necessitas gravissimum est argumentum.

Nostrum non est investigare, quae reformationes hac in re essent necessariae et quomodo civitas alio modo pecuniam posset congregare, quam abolitione hujus vectigalis amitteret. Sufficit nobis indicavisse, illa tributa diariorum perniciosum habere effectum; ea non solum spectare — sicut vulgo creditur — illos qui diaria legunt et hoc modo esse vectigal luxui impositum, sed indirecte etiam totam attingere civitatem et denique, contraria ea esse requisitis publicitatis, quae ex forma imperii hodie vigenti profluunt. De hac veritate convicti, confidimus, gubernatores nostros post quoddam tempus exemplum, in aliis regionibus datum, imitatueros, et quaedam sacrificaturos esse ad conditionem diariorum corrigendam. Jam primum fecerunt gradum ad hunc finem attingendum, quum anno praecedente omnes diariorum appendices, quae non nisi de publicis coetibus politicis mentionem faciunt, a sigillorum tributo liberarent. Certe, longe abest ut tale consilium sufficeret, sed tamen utiliter constituit reformationem, diariis non contempnendam.

Sed si conditio publici aerarii abolitionem hujus vectigalis hodie vetat, non idem valet de illis reformatiōnibus, quae, utiles et necessariae, proventibus nocere non possunt. Secundum leges vigentes quantitas tributi debiti pendet a forma diariorum. Majora plus, minora minus solvere debent. Vitiosa nobis videtur illa mensura, quia nonnisi ad restringenda diariorum commoda et augenda eorum incommoda inservire potest. Ipsa lex hoc modo directe publicitatem oppugnat, cui favere deberet. Minima extensio diarii nonnisi ingentibus sumtibus licita est et fere fieri nequit, quia lectores pretium magius solvere nolunt.

Et tamen talis extensio civitati multum prodesset, cum nullum inferret incommodum. Aggressiones quae per paucis comprehenduntur verbis periculosiores sunt quam omnes illae aggressiones quae longis et multis defenduntur argumentis. Systemata falsissima non sunt ea de quibus late disputatur, sed illa quae solum enuntiantur, quia longe facilius est enunciare quam demonstrare. Conditio hodierna diariorum in patria nostra vitia illa aperte indicat. Dum nullum exstat diarium quod omnibus modis requisitis publicitatis satisfacere potest, illa quae minime sunt extensa, maximam exercent auctoritatem, quia in iis praesertim inveniuntur aggressiones acerrimae, et enumerations extensissimae ignoriarum et turpitudinum. Ipsa lex iis favet. Illa diaria quae sua officia implere conantur, quae recte intelligent nobilem illam facultatem opiniones suas emittendi ope typographiae, quae homines humaniores reddere vellet, illa diaria tanta vectigalia pro egregiis suis conaminibus civitati solvere debent, ut vel existere non possint, vel propter magnum pretium nonnisi ab iis legantur, qui salutaribus eorum praeceptis facilius carerent. Illis con-

tra, quae libertatem typographiae alio modo intelligunt, quae eam habent tanquam egregium et facile remedium pecuniae summas congregandi vel consilia attingendi illicita, illis diariis mensura legibus recepta justa et amoe-na videtur. Quid eorum interest omnia publicari! Folia quam minima semper satis ampla sunt iis, qui quodam verbo, quodam signo abuti sciunt. Simul propter par-vos sumtus confectionis et levia tributa venduntur pretio tam exiguo, ut dispergantur inter infimas societatis clas-ses, et ibi venenum effundere possint, quod cetera dia-ria frustra impedire conarentur, quia, propter injusti-tiam legis, homines, illo veneno contaminatos, attingere non possunt. Urgens igitur nobis videtur necessitas, ut systema hodie vigens relinquatur et omnibus diariis po-liticis (alia exceptionem facere debent) instituatur unica mensura, ne quantitas vectigalibus debiti diutius pendeat a foliorum latitudine, qua utuntur. Non opus esset ut tale consilium aerario noceret, dum certe saluti publi-cae longe prodesset.

Sicut jam supra diximus, usurpationes diariorum, quam-quam magna parte vectigalibus tribuenda sunt, tamen etiam ex aliis fontibus profluunt. Vitia illa partim in-stitutioni ipsi necessarie inhaerent et fere removeri non possunt, partim nobis corrigenda videntur, sed lento gradu et remediiis alias generis, quae non in scriptis legibus inveniuntur. Fere nulla in regione diaria tam opinioni publicae contraria videntur quam in patria nostra. Ubique homines egregii, cujuscunque generis, scientia sua ornamenta praebent diariis et utuntur re-medio, oblati illa institutione, ad opiniones suas et sententias spargendas. Contrarium apud nos valet. Illi qui diaria conficiunt maxima parte sunt homines obscuri et ignoti. Viri politici et literatores credunt se gravitatem

suam et auctoritatem amissuros esse, si collaborarent in opere confiendo cum illis hominibus qui diaria scribunt, et libris tantum inaestimabiles confidunt fructus erudit laboris. Tristis et infelix sane est illa conditio. Talis humilitas auctoritatem, quam exerceat diaria, diminuere non potest, quia illa auctoritas praesertim classes minus eruditas spectat, et contra efficit, ut illa auctoritas non fiat utilis et salutaris, sed perniciosa moribus et intelligentiae populi. Tristis illa praejudicata opinio est causa, cur diaria nostra tam longe sint postposita diariis ceterarum gentium, et tanquam necessaria sequela, cur tot erroneae sententiae de eruditione et intelligentia nostri populi apud peregrinos valeant.

Quotidie dicitur, diaria non aliis et majoribus juribus uti posse quam libros, sed quae sunt causae extraordinariae illius conditionis? Non intelligimus, omnes illos homines, qui perniciosum diariorum effectum proclamant, qui corruptionem pulchrae nostrae linguae lugent, vanam et sterilem contemtionem atque irrisione praeferre illis remediis, quibus solum haec vitia corrigenda sunt. Et tamen illa remedia non nisi ab iis ipsis pendent. Si diaria necessarium praestantiae gradum attingere non possunt, qua de re egregii hi viri illis suum auxilium recusant, sine quo, vitiis et suis erroribus, damnum inferunt, quod omnes libri simul compensare nequeunt. Contra tamen, si illi viri, scientia et luminibus eximii, commoda diariorum curant, si collaborantes, simul propriis suis consiliis et ipsis diariis favent, si diaria tam egregia efficiunt, ut sensus dignitatis ea retineat a vulgaribus dijudicationibus et dishonestis propositis, diariorum usurpationes et odiosa privilegia evanescent. Hoc modo melius inservietur libertati typographiae quam omnibus illis legibus, quae diaria supprimere et restringere

conantur, sed quae hucusque finem propositum et optatum assequi non potuerunt.

Ut tamen illa coöperatio supra laudata omnia ea praebat commoda quae praebere potest, necessarium erit, ut hi viri docti auctoritatem laboris sui augeant auctoritate nominis. Talis subscriptio nominis magna et utilis esset reformatio. Certe lex scripta eam jubere non potest, nam, experientia docti, scimus multos homines inveniri qui non solum calamum sed libenter etiam nomen mutuum dant, et hoc modo salutare legis propositum evitarent. Sed quod lex facere nequit, usus perpetrare debet. Communis illa repugnantia nomina scriptorum publicandi, non solum perniciosum habet effectum in diariis, sed contraria etiam est requisitis temporis, quo vivimus. Libertas typographiae — sicut dicitur — non nisi effectus est libertatis loquendi. Ne igitur nimis aliena fiat ab illo fonte, non etiam amittat primam illam et maxime necessariam similitudinem, nimirum, ut, sicut ille qui loquitur auditoribus suis cognitus est, etiam nomen scriptoris lectoribus non sit ignotum. Illi scriptores quorum proposita sunt utilia et integra exemplum praebant, et post quoddam tempus diaria amiserint perniciosum illud privilegium quod ex ignorantia nominis profluit, quia fragmenta quae subscriptione carent, amiserint auctoritatem qua hodie fruuntur.

De ultimo arguento nobis videndum restat, sed in eo tractando breves esse possumus, quia illud vitium, quod indicare vellemus, quamquam in plurimis regionibus creber et late patens, hodie in patria nostra fere incognitum est. Diaria politica hanc ob rem in primis sunt necessaria et utilia, quia certam tutelam exercent in res publicas et cavent, ne gubernatores harum rerum gestione negligant. Dijudicationes horum diariorum revera

saepe sunt injustae et erroneae, sed errores oppugnatorum compensant defensores. Gubernatores ipsi pugnae nunquam se immisceant. Simul judices et judicati esse nequeunt. Si graviter injuriantur tribunalia damnum datum resarcient; si errores committuntur, illos errores indicare debent ope publicitatis qua utuntur, sed ne alio modo quam parvis illis correctionibus se ipsos defendant et oppugnatores dijudicent. Si alii veri diariorum juris obliviscuntur, gubernatores hoc exemplum sequi non debent, quia sic usurpationes oppugnatorum approbarent. Laudes immeritae, quas sibi ipsis attribuunt et quibus nemo fidem habet, pejoris sunt effectus quam acerrimae aggressiones inimicorum. Historia Franciae illius veritatis multa praebuit exempla. Praeterea omnia illa conamina nunquam sufficere possunt. Simulac inimici intelligunt suas aggressiones gubernatoribus tanti esse ponderis, eorum numerus quotidie accrescit atque injustae injuriosaeque dijudicationes eadem ratione augent, donec lucrosum quoddam munus fiat indignum praemium eorum malevolentiae. Igitur factionibus oppositis, quas delere credebamus, contra omnibus modis favemus.

Fines quos nobis praescripsimus non simunt, nos omnia praecepta quae hic vel illic de diariis valent, accurate investigare. Talis investigatio speciale efficeret opus, a nostro proposito alienum. Hoc tamen addamus: Quamquam diaria aliis juribus uti nequeunt quam cetera typographiae opera et igitur etiam in legibus libris assimilari debent, specialis tamen eorum institutio multis casibus specialia etiam postulat praescripta. Quando illa praescripta tendunt ad delicta praevenienda et publicam securitatem confirmandam, valde commendanda sunt, sed ubi consti-

tuunt restrictionem libertatis typographiae — sicut olim in Francia hoc praescriptum, ut scriptores ante publicationem veniam gubernatores regare deberent (*autorisations préalables*) — valde improbanda videntur. Experientia omnium temporum aperte docuit talia consilia non nisi damnum afferre. Finis, quem sibi proproununt gubernatores, non attingitur; violantur vera juris principia, et denique creatur conditio dimidiae libertatis, quae, dum scriptoribus malevolis fere nullum est impedimentum, odiosa videtur oppressio. Malevolentia nunquam obliviscitur simulatam hanc oppressionem in suum commodum adhibere.

Interdictio diariorum nonnisi raro licita nobis videtur et per spatum temporis valde limitatum. Leges Francicae anni 1835¹ et 1849², quae hanc poenam applicant in quacunque condemnatione propter delictum repetitum, certe nimis sunt severae. Tali modo interdictio revera constituit perniciosam restrictionem libertatis typographiae³.

Ceterum, ut delicta, ope diariorum commissa, gravius puniantur quam cetera, improbandum non videtur. Damnum quod exercere possunt longe latius spectat quam

¹ Lex dici 9 mensis Septembri anni 1835, Art. 12.

² Lex mensis Junii 1849, Art. 12.

³ Experientia praeterea docuit, quomodo etiam hoc praescriptum evitari possit. Anno 1834 diarium Francicum *le National* quodam tempore interdicebatur. Post nonnullos dies tamen editum est idem diarium, sub inscriptione: *le National de 1834*. Scriptoribus hanc ob rem condemnatis, Curia Cassationis sententiam datam rejicit, quia, his verbis »de 1834« adjunctis, novum conditum erat diarium. Secundum stricta legis verba hoc judicium justum esse poterat, sed certe finis, quem se proponebat legislator, hoc modo non attingebatur. Cf. GRATTIER, Op. laud. II, 91 sqq.

damnum libris effectum, sicut summo jure eadem differentia existit inter poenas, ad hoc damnum resarcendum impositas. Jam in capite primo graves poenas et “immanem” legem commendavimus, tanquam optimum remedium contra abusus libertatis typographiae. Profecto, hoc loco, ubi de diariis agitur, illa sententia non a nobis corrigi oportet¹.

Restat ut videamus de cautionibus, in Francia, Anglia et aliis regionibus scriptoribus impositis, qui diarium constituere cupiunt. Institutio illa cautionum debetur celebri CHATEAUBRIAND², qui primus eam commendavit et cuius auctoritate postea in legibus recepta est. Rationes cur cautiones ei commendabiles videantur, hisce verbis exposuit: “Une gazette est une tribune: de même qu'on exige du député, appelé à discuter les affaires, que son intérêt, comme propriétaire, l'attache à la propriété commune, de même le journaliste qui veut s'arroger le droit de parler à la France, doit être aussi un homme qui ait quelque chose à gagner à l'ordre public et à perdre au bouleversement de la société!” Illa theoria certe speciosa videtur. Si commoda et incommoda scriptoris arcte cohaerent cum commodis incommodisque societatis, hostiles omnes illae aggressiones contra publicam securitatem statim evanescerent. Sed quid theoria si praxi condemnatur? Jam per tot annos cautiones in Francia diariorum scriptoribus impositae sunt, et tamen optatam illam reformationem nondum effecerunt. Et quae est causa parvi hujus effectus? In eo sita est, ut neque restrictivas neque fiscales leges reformationem necessariam rogare debeamus. Mala diariorum conditio, praesertim in Francia, ab aliis,

¹ Vid. supra, pag. 15.

² *La Monarchie selon la Charte*, Cap. XX.

magis moralibus, dependet rationibus, quae ante alia omnia corrigendae sunt. Sed praeter communem illam animadversionem, cautions hanc ob rem improbandae videntur, quia finis, quem sibi proponebat CHATEAUBRIAND, fere nunquam attingitur. Experientia docti, novimus plerosque scriptores, qui de diario respondere debent (*gérants*), plerumque non esse dominos hujus diarii, quod ad magnas societas pertinet. Illae societas solvunt cautions et non ipse scriptor. Hoc modo illud consilium, ut commoda scriptoris cum commodis ipsius civitatis conjungerentur, fere semper vanum restat.¹

Porro ita CHATEAUBRIAND: "Vous seriez par ce moyen débarrassé de la foule des papiers publiés. Les journalistes, en petit nombre, qui pourraient fournir ce cautionnement, menacés par une loi formidable, exposés à perdre la somme consignée, apprendraient à mesurer leurs paroles"². Eadem illa causa, cur celeber auctor cautions commendat, nos ducit ad eas condemnandas. Sicut summo jure animadvertisit CHATEAUBRIAND, cautions tendunt, nonnisi ad augenda impedimenta, quae constitutioni diarii obstant. Si vectigal sigillorum hanc ob rem abolendum nobis videtur, non rogabimus novam institutionem eujus incommoda hac in re longe majora essent. Non nobis metum injicit ingens ille diariorum numerus, qui fere nullam exercet auctoritatem, sed timemus ingentem auctoritatem a paucis exercitam.

¹ Conf. EMILE DE GIRARDIN: »Quand au contraire les cautionnements sont considérables, quand un grand nombre d'abonnés est nécessaire à la publication d'un journal, que fait celui qui l'entreprend? Il confond les risques d'amendes avec les autres chances de pertes, et met le tout à la charge de la société commerciale qu'il forme: *il a soin de s'y soustraire personnellement.*» *Etudes politiques*, pag. 252.

² *La Monarchie selon la Charte*, Cap. XX.

Si sententia viri celeberrimi CHATEAUBRIAND apud nos legis vim esset nacta, fere nullius hominis opes sufficerent, ut, sine aliorum auxilio, unice suarum opinionum enuntiandarum gratia, omni lueri faciendi animo remoto, novum constitueret diarium. Tali modo ipsa lex scriptorem cogeret, tanquam primarium propositum, in confiendo diario ante oculos habere, mercedis acquisitionem.

T A N T U M.

— 11 —

T H E S S.

I.

Aequitati et publicae utilitati consentaneum mihi videtur, ut in judiciis de calumnia, ubi de vita privata agitur, exceptio veritatis non admittatur.

II.

Jus animi cogitata artis typographicae ope divulgandi, natura sua non differt a jure mentis suae cogitata aliis qui buscumque modis proferendi et cum aliis hominibus communicandi. Non admittendum itaque nobis videtur proprium et peculiare aliquid, ut vulgo dici solet, *preli jus* aut *preli libertas*, vel etiam singulare aliquid genus *criminum preli ope commissorum*: verum haec omnia ex generalioribus juris privati vel publici principiis dijudicanda sunt.

III.

Jus animi cogitata cum aliis communicandi naturaliter non est illimitatum, sed coarctatum est necessario jure aliorum postulandi, ne cogitatorum communicatione quis abu-

tatur ad injuriam inferendam aliis; hi itaque sunt naturales et necessarii libertatis, etiam preli quae dicitur, limites.

IV.

Recte ait Rossi: "La justice et la politique réclament également une différence de peine entre la tentative et le crime consommé."

V.

Improbandum mihi videtur praeceptum art. 59 Cod. Poen.

VI.

Facere non possum cum iis qui praescriptionem longi temporis in causis criminalibus improband.

VII.

Verba: "door inpandgeving of *op eenige andere wijze* verbonden," quae inveniantur in art. 1188 Cod. Civ. non etiam emtionem venditionem comprehendunt.

VIII.

Iis quae art. 44 Cod. Civ. indicantur peractis, matrimonium ex lege nostra jure contractum est, etiamsi instrumentum publicum matrimonii init, art. 45 memoratum, confectum vel a partibus signatum non fuerit.

IX.

Uxor, quae mariti domicilium reliquit, ex jure nostro per vim cogi non potest, ut in domum illam revertatur.

X.

Erronea est sententia eorum qui existimant, ad solutionem literarum cambialium nunquam teneri acceptantem, si subscriptio trassantis falsa est.

XI.

Non est pugna inter fr. 18 D. de *injuriis et famosis libellis* (XLVII, X), atque Const. 5. Cod. Justin. de *inj.* (IX, XXXV).

XII.

Judex in legibus applicandis sententiam legum non solum ex verbis, quibus conscriptae sunt atque ex diversis legum partibus inter se comparatis efficere debet, sed simul etiam ex legum historia rationibusque quas legislatorem movisse probabile est. Facere non possum cum iis qui duas has interpretationis partes separant atque censem primam vel secundam sufficere.

XIII.

Ipsius civitatis commodis contrarium mihi videtur, quod secundum leges apud nos vigentes, quantitas vectigalis sigillorum (zegelregten) diariis politicis impositi, pendeat a forma horum diariorum, eo modo ut pro majoribus plus, pro minoribus minus solvendum sit.

XIV.

Cautiones pecuniae diariorum administratoribus (*gérants*) in Francia aliisque regionibus impositae, improbandae sunt.

XV.

“La législation la plus favorable à l’industrie est celle qui procure à tout le monde au plus haut degré la liberté et la sûreté des personnes.” Ita recte ait SAY, *Cours d’économie politique*, pag. 254.

XVI.

Civitas stricto jure non tenetur ad alimenta pauperibus praestanda.

XVII.